


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
35 H
16
ROMA

# APOSTOLI
# MARIANI.

# APOSTOLI MARIANI
SEV
## DE SINGVLARI SANCTORVM
Apostolorum in Mariam Deiparam virginem pietate.


## LIBER VNVS.

*EX SANCTORVM PATRVM, aliorumq. Orthodoxor. Monumentis depromptus.*

A P. HIPPOLYTO MARRACCIO
Lucensi, è Congreg. Clericorum Regularium
MATRIS DEI.







ROMÆ, Per Franciscum Monetam. MDCXLIII.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

TIBI, Virgo virginum ampliſſimæ,
Apoſtolorum Reginæ [a] inclytæ,
Stupori [b] maximo.
Gubernatrici [c] ſapientiſſimæ
Lucubrationem hanc
Re ſanè modicam, affectu grandem
Voueo, dedico, conſecro.
Tibi
Iure optimo debetur,
Quæ Mater [d] ipſorum dulciſſima,
Doctrix, magiſtraque ſapientiſſima,
Illuminatrix [e] præfulgentiſſima,
Et regiſtrũ [f], & honor [g], & laus iucũdiſſima [h]
Extitiſti.
Accidunt in obſequium tuum
Diſcipuli [i] tui,
Virtutum [l] tuarum imitatores & teſtes,
Clientes tui eximij,
Candidi, ſinceriq. alumni tui,
Præcones laudatoresq. præclari,
Propugnatores ſtrenui,
Serui fideliſſimi,
Amatores feruentiſſimi,
Amici [m] intimi,
Beniamini vnici,
Filij [n] maximè deſiderabiles,
Apoſtoli.
A qua dictamen [o], regulã, ſanũq. [p] conſiliũ

a Eccleſia in litanijs.
b B. Petrus Dam. ſerm 1. de Na. V.
c Bernard9 Buſt. ſer. 2. de Aſſũpt.
d Dionyſius Cart. lib. . de laudib. Virg. artic vlt. & lib. 2 de præcõ. eiuſd. art. 24
e Trith. in lib. de mirac. B M. V.
e in Vr iceto cap. 6.
f Bonau. in ſpeculo B. Virg. cap. 2
g Lud. Blo. Endeleg. 2. ad D. Virg.
h Bonau. in [Salue Regina]
i Th. à Villanou. cõc. 2. de Aſſũpt
l Amedeus Lauſanen. hom. 8 de laud. Virg.
m Rupe. in c. 2. Math.
n Damaſc. orat. 2. de Aſſumpt.

hausère
In qua [q] perinde ac in puriſſimo ſpeculo
Dominum omnipotentem
conſpexère. (ductum
Per [r] quam, velut per nobilẽ gloriæ aquæ-
feliciſſimam beatitatem
deportauere.
Accido, & ad genua tua famulãtiũ minimus
Hippolytus tuus,
Exoptans, rogans, flagitans;
Vt quidquid huic muneri, tibi ſacro,
Ex mea impotentia deeſt,
Et Apoſtolorum tuorum prece & officio,
Et Clementia, Indulgentiaq. tua
Expleatur.

o Bart. Piſanus lib. 2. de laudib. B. Virginis fructu 6.


p Birgitta or. 1. reuel.

q Carth. lib. 2. de laud. B. V. art. 26

r Alb. mag ſerm. 1. in feſto Om. Sanctorum



ILLV-



ILLVSTR.MO AC REV.MO DÑO

# D. HIERONYMO

## BONVISIO

Clericorum Cameræ Aposto-
licæ Decano.



*HIPPOLYTVS MARRACCIVS S.D.*



EVS hic, de Marianis Apostolis, ac proinde de Maria Deipara pertractans Libellus, ad te libenter, vltroq. festinat, Illustrissime Domine, vt à Stella tua lumen mutuetur, ac tutelam. lumen quidem, contra propriæ obscuritatis tenebras; tutelam verò, contra calumniam & liuorem. Et quis à lucidissimo, clarissimoq. Sidere lumen; quis ab aperto, dilucidoq. tutelæ

ſymbolo tutelam deſperet? Nonne cœleſtis ſplẽdoris à ſolari fonte deriuationes, sẽpiterni ignis ſcintillæ, ſuperni fulgoris radij, ac diuinæ claritatis lucidiſſimæ faces Stellæ sũt? Nonne Stellis rei alicuius tutelam, cuſtodiamq. adumbratã, ex Valeriano in ſuis ſymbolicis ſcripſit Ricciardus, dum Stellis, quæ ſuper Romuli ac Remi, lupæ mammas lactantium, capita pingebantur, propriorum geniorũ tutelam, ſeu cuſtodiã, per quam illi infantes ſoſpitati ſunt, ſignificatam affirmauit? Iure igitur ab Illuſtriſſimo Sidere tuo ſibi ipſi lumen, ac tutelam querit liber meus, nè ſine lumine obſcurus, nè ſine tutela maneat indefenſus. & quidẽ tua illa in Deiparam virginẽ pietas, quam ab Auis, Atauisq. hæreditario iure in te deriuas, eum voti ſui compotem futurũ promittit. Poſſem hic quamplures Maiorum tuorum recensère, cœleſtis Reginæ cultu ac deuotione illuſtres, vt Ioannem Bonuiſium, ob egregias animi dotes, & præclaram vitæ ſanctitatem inter Beatos Franciſcanæ religionis adſcriptum; qui ieiunio, oratione, humilitate, paupertate, obedientia, ac illibata ſuæ caſtitatis integritate Deiparæ famulatus, Aſſiſij in Vmbria, ex conuentu S. Mariæ de Angelis, quem ſibi, ob

Ricciardus in ſuis comment. ſymbolicis verbo Stella.

Arturus à Monaſter. Rotomagẽſi in Martyrol. Fran. die 14. maij

ob ardẽtem in Dei Genitricem affectum, pro habitatione optauerat, ad superni regni sedes euolauit: vt Bonuisium Bonuisium S. R. E. Cardinalem amplissimum, Principem optimum, atq; integerrimum, omni elogio ac præconio maiorem, cuius regia purpura, Deiparæ melius amore, quã concharum cruore flammescens, ad illam laudandam, colẽdam, celebrandamq. perpetuò anhelauit: vt Lucretiam Bõuisiam, heroinam illã lectissimam, pijssimam, spectatissimam, de Congregatione nostra optimè meritam, ob viscerosum in nos amorem, ac verè maternum, Matris nomine à nobis appellatam, cuius præstãtis erga diuam Virginem studij, in Ecclesia nostra Lucensi S. Mariæ, insignia prorsus extant, atque in omnem posterorum memoriam perẽnatura monumenta. Sed, ceteris omissis, haud par est, patrem tuum Ludouicum Bonuisium, singulare Patriæ suæ decus & ornamentum; atque, vt verbo dicam, Virum cœlo dignum consilere. Hic tam rara erga Dei Genitricẽ pietate, ac deuotione enituit, nihil vt ardentiùs eius versaret mẽs, quàm cœlestis Reginæ gloriam; nec intensiùs quidquã ambiret, quàm communis Aduocatæ patrocinium. quod, quã

ſæpè ſuis in neceſſitatibus expertus ſit, haud facile eſt enarrare. Vouerat aliquādo ſe ad ſacroſanctam B. Virginis Lauretanam ædem ſtatuto tempore profecturum; & licet præfixo temporis termino, aduerſa valetudine premeretur, febriq. laboraret; retardari tamen non potuit, quin iter illud arriperet, votoq. ſe exolueret. ſed, ò rem omnino mirabilē! cùm prima itineris nocte, ſeria cum febri luctatus fuiſſet, nec ob id tamen quidquā de ſua in Dei matrem fiducia remiſiſſet; manè diluculò ita ſe ab omni malo liberū inuènit, vt Lauretanum iter proſequi, eoq. confecto, propriam ad domum regredi, abſq; vlla difficultate potuerit. à quo porrò itinere (inquit P. Cœſar Franciottus noſter) tantis à B. Virgine fuit gratijs cumulatus, vt toti Lucēſi ciuitati viſus exinde fuerit, intra ſacros illos Laureti parietes veterem hominē exuiſſe, nouumque, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induiſſe. Beneficijs autem in ſe à Deipara virgine collatis, aliqua ex parte reſpondère exoptans, inter alia multa, quæ eidem Deiparenti obſequia præſtauit, in Mariano templo noſtro Lucenſi, ad eiuſdem templi propè ruinoſi, fulcimentū, ſex ex albo Carrariȩ marmore, magnitudine inſignes, pro-

prijs

Cœſ. Franciottus in eius vita, quæ extat apud me m. ſ. & in epiſtol. dedicator. ſui Itiner. Lauretani.

Idē. ll. cc.

Idem in cron. m. ſ. noſtræ Cōgregat. ad ann. 1603.

prijs ſumptibus, erexit columnas, ſuæ erga Christi matrem propenſiſſimæ voluntatis, ac deuinctiſſimi animi teſtes ſempiternas. At vnius epiſtolæ breuitas, me ad alia tanti viri illuſtria facinora, ſtylũ conuertere non permittit. De te autẽ paternæ pietatis hęrede quid loquar? quibuſnam explicabo verbis, quo tu Deiparam virginem affectu diligas, deuotione colas, beneuolentia proſequaris? Certè cùm adoleſcens adhuc, Lucæ, ſcholas & Congregationes noſtras frequẽtares, in feſto quodam S. Mariæ ad Niues, ea, cum inſigni tua gloria, virgineæ pietatis ſpecimina oſtẽdiſti, vt ferè omnes te, velut Deiparæ virginis eximiũ cultorẽ, ſuſpexerint, pièq. venerati ſint. Creuit cũ ętate, cum ſtudijs, cũ honoribus tua in Deipara pietas, tuus amor. Sed nè cũ tuę ſingularis modeſtiæ offenſione, epiſtola creſcat, ſilẽdũ eſt. Perge illã amare, colere, venerari, cuius ſymbolũ gentilitjo in ſtẽmate geſtas; vt Stellam tuã intuèri non poſſis, quin Mariæ recorderis; quæ ex ſui nominis interpretatione, Stella maris eſt; & quę teſte Bernardo, *aptiſſimè Sideri cõparatur; quia ſicut ſine ſui corruptione Sidus emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturijt filium; ipſa eſt nobilis illa Stella ex Iacob orta,* D. Bernard homilia 2. ſuper Miſſus eſt.

*ta,*

*ta, cuius radius vniuersum orbem illuminat; cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat; terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa est præclara & eximia Stella, super hoc mare magnum & spatiosum necessariò subleuata, micãs meritis, illustrans exemplis, si insurgant venti tentationum. si incurras scopulos tribulationum, nè auertas oculos à fulgore huius Sideris, respice Stellam, voca Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca; non recedat ab ore, non recedat à corde; ipsam sequens non deuias, ipsã rogans non despèras, ipsam cogitans non erras; ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenies* ad optatæ felicitatis

VRB. VIII in Hymno de B.M.V. Antiitr. 4.

fastigiũ, cum ipsa, ex magni Vrbani sentẽtia *animarũ sibi deuotarũ felicitas sit*. Te igitur Illustriss. Dñe, pro tuo ardenti in Dei matrem affectu, ac beneuolẽtia singulari, rogo atq; etiam obsecro, vt Libellũ hunc, quem tibi ad nostræ Congregationis, in te, tuosq. debitã obseruãtiam declarandã, humiliter offero; ea, qua soles animi, ac vultus hilaritate benignè suscipias, illumq. clarissimæ Stellæ tuæ lumine ac tutela digneris. Vale

Præ-

# Præfatio ad Lectorem.

*LIbellum hunc, mole exiguum, argumẽto magnum, idcirco in lucem proferre, ac publicæ notitiæ exponere placuit, amice Lector, vt SS. Apostolorum, ac beatissimorũ Ecclesiæ Principũ exemplo, erga magnum orbis miraculũ, cœlorum prodigium, Angelorũ spectaculum, viuum viuẽtis Dei tabernaculum, Mariam Deiparã virginem, religionis, ac reuerẽtiæ cultus in fidelium cordibus augeatur. Quid in eo voluerim, quid præstiterim, ex ipsa operis lectione cognosces. Apostolos Marianos ostendi, de singulari eorum in Mariam Deiparam virginẽ pietate egi: atq; vtinam pro rei dignitate ac maiestate; sed terræ, cœliq. Regina, suauissima Iesu mater, quæ mihi hanc mentẽ iniecit; quæq. me, benignitatis suæ fauore, ad opus promouit, affectũ forsitan spectabit, munusq. hoc meũ, exile licet & incomptum, pro suæ beneuolentiæ dulcissima humanitate, suscipere non dedignabitur. Ne cui autem iniuriosus apparerem, si Apostolos dignitate pares, ordine impares pro libito efficerẽ, cùm primi omnes esse non possent, illos eo prorsus ordine disposui, quo ab Ecclesia in litanijs percẽsentur. Quæ verò de ipsis exaraui, ex ijs quæ viri sanctitate & eruditio-*

*ne*

*ne ac pietate illustres, multis sparsim voluminibus de hoc argumẽto vulgarũt, non absq; labore, ac diligentia me collegisse profiteor; nihilq. afferre libuit, quod aliorum patrocinio tueri non possem.* Exponit enim cẽsuræ sententiam suam (*ex magni Ennodij Ticinensis iudicio*) quisquis, quod elegit, nõ tuetur. *Amadæi reuelationes in hoc opere productas, cũ peculiaris sint personæ, nec ab Ecclesia receptæ, atq, eiusdem calculo cõprobatæ existant, neminẽ ad credendum coarctare affirmo: nec easdẽ propriè dictas reuelationes, Deiq. oracula, sed pias potiùs meditationes esse pronũtio. Quis autem fuerit Amadæus, aliàs Amator, vel Ioannes Menesius, Didaci Siluæ, Ducis Portalegrij frater, nobili Comitũ Villæ regiæ familia satus, Franciscani Ordinis alumnus, sũmo Pont. Xysto IV. à sacris conscientiæ secretis, ac purpuratorum Patrum Senatui venerabilis; patet ex Gaspare Varerio Lusitano in chorographia lusitanè scripta pagina 245. Marco Vlissipponẽsi Epõ Portuẽsi par. 3. Chrõ. Franciscanæ lib. 6. cap. 30. Sãcte Peregrino in Bibliot. Hispana tom. 3. clas. 2. Ant. Vascõcellio in descript. Lusitan. pag. 525. vt alios breuitatis causa omittã. Fruere si placet: & si q̃d laude, ac cõmendatione dignnm in hoc opere reperies, diuinæ sacra gloriæ, non meæ. Vale.*

F. Ennod. lib. 3. epist. epistola 26

DO-

DOMINICVS TVCCIVS, CLERICORVM Regularium Congreg. Matris Dei Rector Generalis.

CVM opus inscriptum, Apostoli Mariani, *seu*, De singulari sanctorum Apostolorum in Mariam Deiparam virginem pietate, *à R.P. Hippolyto Marraccio nostræ Congregationis Sacerdote compositum, duo eiusdem Congregationis Patres, quibus id commisimus, examinauerint & approbauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita videbitur ijs ad quos spectat: In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas, dedimus. Romæ die* 14. *Decembris*. 1640.

Dominicus Tuccius Rector Generalis.

*Imprimatur, si videbitur R.P.M. sacri Palatij Apostolici.*

Io. B.A. Episc. Camer. Vicesger.

EX commissione Reuerendiss. P. M. Sacri Palatij Apostolici Vincentij a Florentiola legi librum hunc R.P. Hippolyti Marraccij, inscriptum [Apostoli Mariani] nihilq. in eo reperi fidei catholicæ, aut bonis moribus aduersum: quim exprimit in D. Virginem affectum, potestq. typis committi. In Collegio sancti Isidori. 19. Decembris 1641.

Fr. Lucas Vvaddingus.

Imprimatur.

Fr. Regin. Lucar. S.P.A. Mag.

In-

# Index capitum huius Operis.



DE

# DE SINGVLARI Sanctorum Apostolorum, in Mariam Deiparã virginem pietate, generatìm.



## CAPVT PRIMVM.



NTEQVAM de singulari sanctorum Apostolorum in Mariam Deiparam virginem pietate, sigillatim agere aggrediar; aliqua, quæ in hoc genere Apostolis omnibus cõmunia censentur, præmittere operæpretium existimaui; nè eadem, in eorum vnoquoq; repetendo, fastidium in legẽtium animis generetur. Et quidem sanctorũ, Apostolorum, in gloriosam Deiparam pietatem singularem, non cessãt Patres suis scriptis celebrare; atq; ad imitãdum posteris exemplum, in suorum operum monumẽtis commendare. *Mariam*, inquit Hieronymns, siue Sophronius, in sermone de Assumptione, Hieron. in serm. de Assũptiõe.

*omnes venerati sunt Apostoli, eique dilectionis affectu famulati.* Sic ille. Cui totidem ferè verbis subscribit magnus Ecclesiæ Toletanæ Præsul Ildephonsus, in sermone 6. quem de beatissimæ virginis Assumptione elucubrauit. Amedæus quoq; Episcopus Lausannensis, in homilia 7. de laudibus Virginis: de Maria, adhuc in humanis agente locutus, dixit: *Inde Angelicis frequẽtabatur officijs; hinc humano famulatu venerabatur. Assistebat ei paranymphus Gabriel cum Angelis, cui Ioannes gaudens, sibi virgini Matrem virginem in cruce commendatam, cum Apostolis ministrabat: illi Reginam, isti videre Dominam lætabantur; & vtrique pro deuotionis affectu obsequebantur.* Sic ille.

Idelph. sermone 6. de Asſũptiõe.

Amed. Lau homil 7. de laud. Virg.

Rectè propterea sancti Apostoli, in duodecim salomonici throni leunculis, à Spiritu sancto in diuinis litteris adumbrati. Quid enim, ex magni Antonij Paduani sententia, duodecim leunculi. hinc & inde in throno Salomonis, nisi duodecim Apostolos Mariam venerantes, & ei obsequentes significant? Fauet sui temporis auctor præcipuus, Ricchardus à S. Laurentio, lib. 10. de laud. Virginis, dum Mariam cum Salomonis throno componens, inter

3. Reg. 10.

Anton. Pad sermone in Domin. 5. post Trinit

cœ-

cœtera fatur: *Duodecim leunculi, idest, duodecim Apostoli (diminutiuum notat humilitatem) stabant ante thronum. Cùm stare obsequentis sit, & ministrantis, significat, quòd ipsi obsequentes erant beatæ Virgini in omnibus. Quòd in gradibus stabant & scabellis, significat, quòd licet essent sanctissimi; tamen non attingebant tantam sanctitatem: qui benè dicuntur leunculi, propter fortitudinem patientiæ, & rugitum prædicationis in deserto mundi; filij illius magni leonis de tribu Iuda, qui ipsos genuit in passione. Quod stabant in ascensionibus throni, significat, quòd mundi erant & humiles, & ipsam, licet a longè, in virtutibus imitantes.* Hactenus Ricchardus. Nullus autem, vt opinor, sanctorum Apostolorum in Deiparam virginem dilectionem eximiam, ac cum eadem familiaritatem sanctam, conuersationemque dulcissimam pro dignitate explicabit. Vnde inquit in suo amoris drammate, Deiparam alloquens, mortalium sapientissimus Salomon rex: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* In quæ verba, vir sanè perpetua, immortalique gloria dignus, Philippus abbas Bonespei, lib. 1. in Canticum Canticorũ cap. 12. *Apostoli non immeritò Adolescentulæ*

Ricch. lib. 10. de laud Virginis.

Philip. abb lib. 1. in Cãtic. cap. 12.

*omnes venerati ſunt Apoſtoli, eique dilectionis affectu famulati.* Sic ille. Cui totidem ferè verbis ſubſcribit magnus Eccleſiæ Toletanæ Præſul Ildephonſus, in ſermone 6. quem de beatiſſimæ virginis Aſſumptione elucubrauit. Amedæus quoq; Epiſcopus Lauſannenſis, in homilia 7. de laudibus Virginis: de Maria, adhuc in humanis agente locutus, dixit: *Inde Angelicis frequētabatur officijs; hinc humano famulatu venerabatur. Aſſiſtebat ei paranymphus Gabriel cum Angelis, cui Ioannes gaudens, ſibi virgini Matrem virginem in cruce commendatam, cum Apoſtolis miniſtrabat: illi Reginam, iſti videre Dominam lætabantur; & vtrique pro deuotionis affectu obſequebantur.* Sic ille.

Idelph. ſermone 6. de Aſſūptiōe.

Amed. Lau homil 7. de laud. Virg.

Rectè propterea ſancti Apoſtoli, in duodecim ſalomonici throni leunculis, à Spiritu ſancto in diuinis litteris adumbrati. Quid enim, ex magni Antonij Paduani ſententia, duodecim leunculi. hinc & inde in throno Salomonis, niſi duodecim Apoſtolos Mariam venerantes, & ei obſequentes ſignificant? Fauet ſui temporis auctor præcipuus, Ricchardus à S. Laurentio, lib. 10. de laud. Virginis, dum Mariam cum Salomonis throno componens, inter

3. Reg. 10.

Anton. Pad ſermone in Domin. 5. poſt Trinit

coe-

coetera fatur: D*uodecim leunculi, ideſt, duodecim Apoſtoli (diminutiuum notat humilitatem) ſtabant ante thronum. Cùm ſtare obſequentis ſit, & miniſtrantis, ſignificat, quòd ipſi obſequentes erant beatæ Virgini in omnibus. Quòd in gradibus ſtabant & ſcabellis, ſignificat, quòd licet eßent ſanctiſſimi; tamen non attingebant tantam ſanctitatem: qui benè dicuntur leunculi, propter fortitudinem patientiæ, & rugitum prædicationis in deſerto mundi; filij illius magni leonis de tribu Iuda, qui ipſos genuit in paſſione. Quod ſtabant in aſcenſionibus throni, ſignificat, quòd mundi erant & humiles, & ipſam, licet a longè, in virtutibus imitantes*. Hactenus Ricchardus. Nullus autem, vt opinor, ſanctorum Apoſtolorum in Deiparam virginem dilectionem eximiam, ac cum eadem familiaritatem ſanctam, conuerſationemque dulciſſimam pro dignitate explicabit. Vnde inquit in ſuo amoris drammate, Deiparam alloquens, mortalium ſapientiſſimus Salomon rex: *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te*. In quæ verba, vir ſanè perpetua, immortalique gloria dignus, Philippus abbas Boneſpei, lib. 1. in Canticum Canticorũ cap. 12. *Apoſtoli non immeritò Adoleſcentulæ*

Ricch. lib. 10. de laud Virginis.

Philip. abb lib. 1. in Cã tic. cap. 12.

*nominantur, quæ in hoc drammate comitari sponsam Virginem prædicantur: quas reddit adolescentulas non dierum paucitas, non ætatis, sed fides feruentior, amor impatiens, indultæ gratia nouitatis.* Pergit.

*Nulli Virginem familiariùs sunt secuti, vel ea mediante sponsi notitiam pleniùs assecuti, quàm Apostoli, qui ante, & post Christi passionem, cum ea diutiùs conuersati, ab ipsa frequentiùs audierunt Verbi mysterium incarnati. Ipsa verò cum Apostolis tanto tempore conuersata; quis penset, quo affectu eosdem fuerit amplexata; qua eos cura studuerit, quæ prius, & perfectius nouerat, edocere; & mirandum tam conceptus, quàm partus sui ordinem frequentiùs, & inculcatiùs recensere? Quæ enim in se alto, & ineffabili consilio completa peruidebat, non assistentibus sibi, non huismodi adolescẽtulis inuidebat; sed in eorum auribus gaudebat illorum frequenter reminisci; volens eas pariter indultæ sibi gratiæ participium adipisci.*

Ildeph. ser 5. de Assũp. Consonat Ildephonsus, sermone 5. de Assumptione B. Mariæ, in hæc verba scribens: *Apostolorum conuentui semper nobili conturbernio semper adhærebat Virgo, cum illis semper habitabat, cum illis de humanis*

*nis Christi actibus, vt veriùs, ac specialiùs cognoscebat, veriùs, ac specialiùs conferebat: vt ab ea discerent qualiter arcanum tanti mysterij, & ipsi crederent, lucidiùs alijs enarrarent; & cùm opportunum fuerit, sine omni ambiguitate scriptis mundo relinquerent*. Hinc Rupertus Abbas in cap. 2. Matthæi, rectè Apostolos Deiparæ Virginis amicos (vtpote, quos ipsa nihil de sibi cognitis arcanis cœlestibus celauerit) nuncupauit. Rupertus ipse loquatur: *Tempus tacendi, ait Salomon, & tempus loquendi, discretionem huiusmodi Virgo sapiens & prudens non ignorauit. Quamdiu filius hominis manere decuit minoratus paulominus ab Angelis, ferè tandiu fuit beatæ Virgini tempus tacendi, & tandiu in silentio fuit, velut hortus conclusus: vbi autem gloria & honore coronatus est filius hominis resurgẽdo, & in cœlum, vbi sedet ad dexteram Patris; ex tunc eidem beatæ Virgini fuit tempus loquendi, & hoc amicis. idest, sanctis Apostolis; & talia loquendi, qualia prius portare nonpotuissent: quod sciens ipse filius hominis, dixerat quodam loco: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Vbi venit Spiritus veritatis, primus quidem & princeps, ipse illos omnem veritatem*

Rup. in cap 2. Matthæi.

Cant. cap. 4

tatem

*tatem docuit; sed ipsa beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit, & taliter locuta est omnibus fidelibus; vt proinde rectè dicat dilectus eius Deus: Fauus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua.*

Ex quo patet: cur Dominus Iesus, in regnum suæ gloriæ rediturus, dulcissimam matrem suam in miserijs huius mundi reliquerit, & non eam statim secum regnaturam assumpserit. Hoc enim præsertim ob Apostolos fecit, nimirùm, nè ij materno solatio, atque eruditione priuarentur. *Ista dilatio* (dicit inter alios beatus Amedæus Episcopus Lausannensis) *discipulorũ Christi non minima consolatio fuit: ista dilatio matri nihil minuit, & mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus Iesus vt ipso ad Patrẽ reuertente, Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur: qui quidem licèt docti essent à Spiritu, ab illa tamen potuerunt edoceri, quæ mundo iustitiæ solem edidit, & fontem sapientiæ ex prato virgineo, intemerato nobis alueo produxit.* Legendus est Anselmus, in lib. de excellentia Virginis cap. 7. Pelbartus in Stellario lib. 10. part. 5. art. 1. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 43. Birgitta in sermone angelico cap. 19. & præsertim B. Thomas à Villa-

Amed. homil. 7. de laud. Virg.

Ansel. lib. de excellẽ. Virgin. c. 7.

Pelbart. in Stellar. lib. 10. part. 5. artic. 1.

noua

noua Archiepiſcopus Valentinus in Concione 3. de Aſſumptione beatæ Virginis, cuius aureis verbis lectorem fraudari non patiar. *Mariæ propter ſingularem & excellentem eruditionem, cœleſtis magiſter ad Patrem vnde venerat rediturus, ſcholam & cathedram ſuam reliquit; non quidem vt oues ſuas regeret, ſicut Petrus, ſed vt diſcipulos ſuos cæleſti ſapientia, quam ab initio didicerat, erudiret; quoniam & propter ingenij viuacitatem, & diuturnioris ſcholæ aſſiduitatem, cœteris omnibus condiſcipulis ſapientior & doctior habebatur. Quam quidem ſcholam duodecim annis, vt fertur, rexit ac tenuit, Apoſtolorum omnium, & diſcipulorum Chriſti, Eccleſiarumque magiſtra: vnde & cunctas hæreſes ſolam interemiſſe in Eccleſia Dei, meritò decantatur.* Sic Villanoua.

Antoninus 4. part. tit. 15 cap. 43.

Birg. in ser ang. cap. 19

B. Thom. à Villanoua conc. 3. de Aſſūptiōe.

Tam diuinæ magiſtræ conſilijs, definitionem Concilij Hieroſolymitani, de veteri lege abroganda ab Apoſtolis factam, affirmant viri doctrina ac pietate ſingulares; nec immeritò quidē: cum enim Concilium illud coram Eccleſia habitum ſit, cuius portio præclara erat B. Maria, quis neget Apoſtolos eius conſilijs vſos fuiſſe ad id, quod volebant definiendum. *Horum*

Vid. Chriſt à Caſt. in hiſt. Deip. capite 19.

Incof. in ep. ad Meſſan. notat. 44.

Caniſ. lib. 5 de Deipar. capite 1.

Rupert. lib. 1. in Cant.

*discernendorum*, inquit Rupertus, *utiquè magistram te esse oportebat, ò B. Maria, & magistra magistrorum, idest Apostolorum, iuxta illud; Fons hortorum; Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. An quia Spiritus sanctus illos docuit; idcirco tuæ vocis magisterio nō illis opus fuit? immo vox tua, vox illius fuit Spiritus sancti quidquid supplementi opus erat iisdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem Spiritu diuidente singulis, prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt, instructo ad loquendum, benè composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum. An quia, sicut in actibus Apostolorum legimus: Facta seditione propter cæremonias Iudaicas, conuenerunt Apostoli, & seniores videre de hoc verbo nullam tui mentionem scriptura facit; idcirco putandum est, quòd conuentus ille te omiserit, sanctum de tuo pectore, de tuo ore spiritum non consuluerit! Immo & illic & in cæteris agendis, tu princeps omnem soluisti quæstionem; ita tamen vt non clamares, neque contenderes, neque audiretur vox tua foris, quia tu sola es Virgo, quæ vniuersam hæreticam prauitatem interemisti.* Sic ille.

Act. cap. 15

Quid

Quid quod Melanchton ipſe palam pronunciat, Mariam fuiſſe, quæ poſt aſcenſionem Domini ſuis conſilijs rexerit Apoſtolos, & primum illum credentium cœtum. Hoc autem ſi verum eſt, inquit Caniſius, vt ſanè videtur conſentaneum, non tam interfuit, quàm præfuit priuatis & publicis conuentibus, in quibus tempore illo difficillimo maximis de fide negotijs Apoſtoli, alijq. ſeniores ſubinde conſultarunt, atque definierunt. Nemoque, vel modico rationis lumine illuſtratus inficiabitur, B. Virgini primas in omnibus ab Apoſtolis eſſe tributas, ad eamq. omnes ſolitos conuenire; vel vt eam conſulerent, vel vt illi ſua referrent, vel vt aliqua ex ea diſcerent. *Ad Virginem Dei genitricem*, inquit Amadæus, *Apoſtoli ſæpe ſæpius veniebant, & ab ea de ignotis, & dubijs docebantur; in dubijs certi reddebantur; in certis firmiores & ſolidiores*. Sic ille.

Melancht. reciat. à Caniſ. lib. 1 de Deipar. capite 1.

Amad. in ſua apocalyp. rapt. 8.

Hieroſolymis autem degentes Apoſtoli, in precibus cum illa vnanimiter perſeuerabant, & in fractione panis, communemq. cum ipſa vitam degebant; vt ſatis apertè colligitur ex Actorum cap. 2. & 24.

*Poſt admirabilem dominicæ aſcẽſionis gloriam* ( verba ſunt Gregorij Turonenſis )

*quæ*

Greg. Tur. lib. 2. de glor. Mart. capite 4.

*quæ contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad complenda cœlestia animauit; sancti Apostoli Domini, & Saluatoris nostri cum B. Maria matre eius in vna congregati domo, omnia ponebant in medio; neque quisquam suum aliquid esse dicebat; sed vnusquisque cuncta possidebat in charitate, sicut sacer Apostolicæ Actionis narrat stylus.* Nec Hieronymi idem confirmantis verba omittam in sermone, quem de Assumptione beatissimæ Virginis conscripsisse dicitur, exarata: *Ad exemplum humanæ vitæ conuersatio Virginis post ascẽsionem Christi generaliter cũ Apostolis fuit, quousque dispergerentur, sicut Lucas meminit, dicens; quod regressi quidem à monte Oliueti Hierosolymam venerunt, & ascenderunt in cœnaculum, vbi manebãt Petrus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi: Hi omnes, inquit, erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum Maria matre Iesu: Ecce Iesu ascendente cum quibus Virgo vacabat in schola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei; vt & ipsa sit forma disciplinæ Christi conuersatur autem cum testibus sanctæ resurrectionis, & ipsa testis; conuersatur cum senatoribus cæli, intra curiam Paradisi, sub*

Hieron. in serm. de Assũptiõe.

Spi-

*piritu sancti disciplina, & magisterio to-
us diuinæ Maiestatis. Inuenitur prima
ata Maria, inter primas summi Regis co-
rtes, quorum vita iam non erat de terris
quibus Christus præliabatur, sed de cœ-
s. Hinc ascendisse leguntur in cœnaculum
quo Pascha dignissimè celebrabatur: ibi
uppe manebant cum Maria matre Iesu
nanimiter aspirati in charitate, perseuerā-
s in oratione; donec induerentur virtute
alto.* Sic Hieronymus; cui Ildephon-
s sermone 5. & 6. de Assumptione, Beda
cap. 9. Ioannis, Metaphrastes in oratio.
de vita, & dormitione Deiparæ, Ber-
rdus sermone in signum magnum, Ar-
ldus tractatu de laudibus Mariæ, alijq.
tate & doctrina insignes scriptores albo
lculo suffragantur.

Certum autem apud omnes haberi de-
t, Apostolos post Christi resurrectionem
Iesv matrem hilares non semel accur-
se, & ea quæ audierant, & viderant re-
lisse, filij gloriam gratulantes; nisi valde
urbanos, & inhumanos esse velimus in
m, quam summo honore obseruabant;
iorum ipsa fidem, à filio factam sibi de-
incians manifestationem, confirmabat:
verbis consolatorijs tristitiam, si qua
super-

superauerat, è mentibus eorum grauiter repellebat, vt loquitur Christophorus Castrius in historia Deiparæ cap. 17. Cùm autem Christus octauo resurrectionis die Apostolis apparuit, seq. ipsis visendum, ac contingendum præbuit, ipsi cum sanctissima Deipara in cœnaculo conclusi manebant, cum qua etiam properarunt in Galilæam; vbi ex eiusdem Redemptoris præscripto, eius conspectu erant liberiùs fruituri. *Numquid*, inquit Rupertus libro 7. de diuinis officijs cap. 25. *vel tunc, quando vndecim discipuli abierant in Galilæam in monte, sicut constituit illis Iesus; tunc, Beatam, de qua loquimur, Mariam, præterierant, & absque illa videntes eum adorauerunt?* Cum eadem adfuerunt Christi ascẽsioni in monte Oliueti, atque inde Hierosolymam regressi cum eadem manserunt in cœnaculo, expectantes aduentum Spiritus sancti, *quo per tantæ matris suspiria, & orationes*, vt Vbertinus loquitur, *cœlitus afflari, atque impleri meruerunt*.

Christoph. a Cast. in hist. Deiparæ cap. 17.

Rup. lib. 7. de diu. off. capite 25.

Vbertin. à Casali relatus à Cart. lib. 4. de laud. Virg. artic. 16.

Lege, si libet, Bartholomæum Pisanum de laudibus Virginis lib. 5. fructu 4. fusè, lateq. ostendentem, quòd superna petente Domino Iesu, magistra veritatis hìc in mundo dimissa sit B. Maria, vt Apostolo-

rum

·um mẽtes ad ſancti Spiritus perceptionẽ lebitè diſponeret. *Et quidem* inquit vir, cũ loctus, tum Doctorum elogijs celebratus Ioannes Baptiſta Nouatus Mediolanenſis, *Quòd B. Virginis preces gratiam Apoſtolis obtinuerint, per quam ad dignè recipiendum Spiritum ſanctum ſe diſponerent, nemini dubium eſſe debet: hoc enim poſtulabat ardentiſſima Virginis ipſius in illos charitas, exigebat hoc Eccleſiæ neceſſitas, hoc requirebat honor Spiritui sãcto debitus. Quibus etiam rationibus ſuadetur, quòd eadem Virgo ipſos Apoſtolos hortata ſit ad petendum Spiritus ſancti aduentum feruida, & perſeueranti oratione, illis in memoriam reuocãs diuinas promiſſiones media oratione impleri ſolitas, & ſpiritum bonum dari de cœlo, illum petentibus, mirumque in modum vnanimem precantium concordiam conferre, vt poſtulata quæcumque à Deo obtineantur. Veriſimile quoque videtur, quòd Virgo admirabiles Spiritu ſancti virtutes (vtpotè, quas optimè non ſolùm ſpeculatiua, ſed & experimẽtali ſcientia nouerat) recẽſuerit, vt ad eiuſdem Spiritus ſancti aduentum ardentiùs deſiderandum, & feruidioribus poſcendum ſuſpirijs Apoſtolos excitaret. Quantum vero huiuſmodi narratio potuerit illos ad hoc*

Io. Bap. Nouat. de eminẽtia Deip c. 19. q. 11.

*exti-*

*extimulare, ex eo facilè intelligi potest, quòd Cantic. 5. cœlestis sponsa statim atque pulchritudinem dilecti sui descripsit, illius quærendi desiderium, audientium animis iniecit: vnde statim dixerunt; Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?*

*Demum B. Virginem, virtutum, quæ summoperè in ipsa elucebant, efficaci exemplo Apostolos ad varios virtutum actus eliciendos maximè prouocasse; atque hoc etiam modo ad Spiritum sanctum dignè recipiendum iuisse, non est quod in discrimen adducatur.* Sic Nouatus colligens eminenter admodùm à Virgine adiutos fuisse Apostolos, cùm non solùm in eos descenderit Spiritus sanctus, sed omnes prorsus repleuerit: *Et repleti sunt omnes spiritu sancto*, ait sacer textus.

Post acceptum verò Spiritum sanctum, per diuersas regiones ad Christum prædicandum dispersos Apostolos, nomini quoque Deiparæ Virginis, cultui ac laudibus præcipuè studuisse; nemo sanè sanæ mentis negare audebit, cùm certiùs hoc sit, quàm vlla egeat probatione. Audiatur sanctus Cyrillus episcopus Alexandrinus hõil. 6. in Nestorium, vbi Deiparam his verbis

Cyril. hom. 6. in Nest.

com-

compellat: *Te Prophetæ prænunciarunt; te Apoſtoli ſummis laudibus celebrarunt*. Aures quoque dentur ſapientiſſimo Idiotæ in lib. contempl. B. Virginis cap. 5. ſic Dei matrem alloquenti: *In prædicatione Apoſtolorum in omnem terram exiuit ſonus tui ſanctiſſimi nominis, & manifeſtum toti mũdo factum eſt*. Hinc Philippus Bonæ ſpei abbas longè digniſſimus lib. 6. in Cãt. Cantic. cap. 9. ad illa verba: Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt, reginæ, & concubinæ laudauerunt eam. Per filias Sion Apoſtolos interpretatus, ſcripſit. *Apoſtoli Christum natum de Virgine intellectu linceo peruidentes: idemque beneficium non Iudæis non gentibus inuidentes, non ſolùm filium, ſed & matrem beatiſſimam adſtruxerunt cuiuſmodi viſione & ipſi ſuo modulo beatitudinem meruerunt*. Albertus verò cognomento Magnus in Biblia Mariæ ſuper Numerorum librum cap. 21. per puteum, quem foderunt principes, aquarum viuẽtium puteum Mariam Deiparam virginem coniectatus, hæc ſempiternis monumentis prodidit: *Maria puteus, quem foderunt principes Numer. 21. ideſt Prophetæ per nunciationem, Patriarchæ per exhibitionem, Apoſtoli per oſtenſionem*.

Idiota in contempl. B.V. cap. 5.

Philip. abb lib. 6. in Cant. ca. 9

Albert. m. in Bib. Mar

*Meri-*

S. Ephr. in serm. de laud. Virg.

Bonauēt. in hymn. sup. [Salue Regina]

Vide Castr in historia Deiparæ.

Meritò proinde incomparabilis Virgo, ac Dei genitrix sacrosancta à S. Ephrem Syro in sermone de eius laudibus, *Apostolorum præconium*. Et à Seraphico doctore Bonauentura in hymno super canticum: Salue Regina, *iucundissima Apostolorum laus* appellata fuit.

Vbi autem ex Apostolorum prędicatione ipsa Deipara per ora fidelium peruagari cœpit, tam ingens eam visendi exortum est desiderium, vt vel in illa Christum veluti præsentem intuerentur, vt teste Ignatio in epist. 1. & 2. ad S. Ioannem Euangelistam, Hierosolymam vndiquè multi adire procurauerint, multiq. & eam viam fuerint ingressi, & pro voto confecerint. In his vnus fuit sapientissimus Dionysius ex Areopagi senatoribus, vt pleniùs infra in Paulo dicemus; qui mox vt accepit adhuc in viuis degère Hierosolymis eam, quę summum Christi numen huic mundo ediderat, Pauli magistri opera ad Ioannem profectus est, atque eo duce Mariā inuisit, cuius confestim aspectu tanta est suauitate perfusus, tantaq. admiratione correptus ex ea, quam in Virgine plusquam mortalem præsensit, dignitatem; vt nisi à magistro Paulo (nam sic ad eum ipse scripsit) fuis-

uiſſet de veritate informatus, Deam proculdubio exiſtimaſſet, & pro Dea habitam adoraſſet.

Sicut autem cõmune fuit omnibus Apoſtolis cum Nomine Chriſti, Mariæ quoquè vocabulum Orbi infundere; ita non minùs conſuetum tantæ Matris imagines ſecum in euangelij prædicatione deferre, cùm ad propriam deuotionem fouendam, tum ad explenda deſideria multorum, qui longè diſſiti, multisq. impedimentis diſſipati admirandam illam Angelis faciem coram intuèri, & venerari non poterant. *Cùm enim*, inquit Caniſius, *multorum incenſus eſſet animus, vt Domini, ac Dei ſui in cælo regnantis matrem coram viderent, & videntes iure ſuſpicerent, atq. reuererentur, nec omnes tamen vndiquè ad eam proficiſci, ſuoque deſiderio ſatisfacere poſſent, prudens, ac pium conſilium inuentum eſt, vt Mariæ vultum ſaltem in tabella depictum exciperent, hocque perenne monumentum, tum præſentes, tum abſentes ad ſuum ſolatium retinerent, alÿque alijs inuicem communicarent*. Hæc ille lib. 5. de Maria Deipara virgine cap. 22. & ibid. cap. 31. aſſerens, Mariæ cultum & inuocationem in Miſſæ ſacrificio ab Apoſtolis celebratam.

Incoſer in epiſt. B. M. ad Meſſan.

Caniſ. lib. 5 de Deipar. capite 22.

Idem loco cit. cap. 31.

*Cur enim,* infert, *Apostoli Deiparæ dignitatẽ non agnoscerent, simulq. primos Christianos docerent, vt summum Deum in eius matre, omnium præstantissima creatura glorificarent, vtque & ipsi in tremẽdis illis mysterijs peculiarẽ eius, quæ maximè gratiosa, & gloriosa est, memoriã celebrarent?* Ita Canisius.

Sic autem diuini Apostoli viuentem adhuc Virginem venerabantur, vt in eius honorem non solùm templa erigerent, aras sacrarent, vt infra in Petro patebit: sed Salutationis angelicę præconium haud semel deuotissimè pronunciarent. *Reuelauit enim aliquoties gloriosa veritatis amica virgo Maria* (inquit clarissimi nominis auctor B. Alanus Rupensis in apologia pro Rosario B. Virginis cap. 15.) *quòd angelica Salutatio in maxima semper fuerit reuerentia: idque vel in cunabulis Ecclesiæ christianæ.* hoc ita docebat. *Apostoli dominicæ annunciationis virtutem accepto Spiritu sancto multò præclariùs quibuscumque posteris pernouerunt, simul, & agnouerunt se per ipsã primitias Spiritus accepisse; quippe fonti veritatis propinquiores, ac luminis. Addo: cognouerunt etiam, quòd diuorum Diua Deipara in testamento nouo causa rerum sacrarũ fuerit secunda, Filius prima. Ex quibus clarif-*

F. Alan. Ru. in apolog. Rosar. B. M Virg. c. 15.

*arissimè perspexerunt, nihil sese donorum atiæ habere, nisi virgine Maria median- : addebatque Maria: Apostoli vtebantur c oratione, scilicet, vtraque dominica, & gelica Salutatione, hnc, inquam, vel ip- adhuc viuente. Verùm sic vt eam refer- nt ad Mariam sub esse gratiæ, & futuræ oriæ, ac diuinæ prouidentiæ, prout ab æter- B. Maria in Deo ideam sui habuit exi- entem, quæ ratio est mundi reparati.* Sic lanus.

Putant sapientes viri, Assumptionis bea- ssimæ Virginis festiuitatem ab Apostolis itium sumpsisse, quod non est improba- ile, quoad celebritatem & cultum, ac an- uam memoriam dormitionis Virginis in clesiasticis officijs, & conuentibus, vt in- uit Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. c. 8. n. 14 inc Damianus Goes Eques Lusitanus in . de fide, religione, & moribus Aethiopũ, em sacra facultas theologica Louanien- approbauit, scribit ex informatione, & latione Legati ipsorum, & Episcopi in ethiopia, cui nomen Zagazabo (quòd atia patris interpretatur) eos ex Aposto- rum institutione accepisse, vt præter no- em dies festos in Christi memoriam ce- brandos, diem mortis, & Assumptionis

Incofer in epistolã ad Messanẽses pag. 109.

Suar. tomo 1. de Relig.

Dam. Goes de morib. Æthiopum, apud Col- uenet. in Kalendar. B. M. Virg.

Petr. Gales in suo Martyrologio.

Mariæ virginis omni honore celebrarent. Consentit Petrus Galesinius, vir in historijs ecclesiasticis præclarè versatus, in notationibus sui Martyrologij ita scribens: *Hæc porro diei festi celebritas* (loquitur de Assumptione beatæ virginis Mariæ) *ab Apostolis instituta putatur, vt facilè è latinis, & græcis concionibus cognosci potest.*

Io. Bonifac in histor. B. Virginis.

Item Ioannes Bonifacius in historia virginali lib. 2. c. 5. vbi agit de præcipuis ferijs in honorem Deiparæ virginis institutis.

Au. Vvich. in Sabbat. Mar. cap. 2.

Docet probabiliter Augustinus Vvichmans in suo Sabbatismo Mariano cap. 2. Sabbatum iam inde ab Apostolorum temporibus beatæ Virgini consecratum fuisse. Idemq. de officijs precum horariarum existimat Coluenerius in suo Kalendario sanctissimæ virginis tom. 1. pag. 52. videlicet, ex tunc compositum esse. Porrò Vvichmans in hunc modum scribit: *vt in re obscura sententiam meam clarè proferam, dico, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, & Apostolorum etiam temporibus institutum sabbatum in honorem B. Mariæ: qua in opinione, à causa principali, ob quam illud institutum existimo, confirmor. Estque ea, dolor acerbissimus, & verum martyrium, quibus afflicta fuit sanctissima Deipara in illo*

Coluen. in Kal. B. V.

*tristi*

*isti sabbato sepulti sui filij. Et sicut sa-*
*i illius ritus, & obseruantiæ ecclesiasticæ,*
*ios vniuersa tenet Ecclesia, quando de pri-*
*a illorum origine non liquet, communiter*
*sententia D. Augustini, & doctrina Theo*
*gorum, ad Apostolorum tempora solet refer-*
*, & ipsi eorum auctores haberi: ita etiam*
*hoc sacro ritu hebdomadarij sabbati sen-*
*ndum arbitror. Opinionem interim hanc*
*eam; Romanæ Ecclesiæ, aliorumque meliùs*
*inantium iudicio, lubens submitto.* Hæc
e.

Hoc certum, stabile, atque apud om-
s ratum, Apostolos, cùm primarijs recē-
Ecclesiæ viris, Mariæ morienti adfuisse,
q. defunctæ dignum funus, honorificasq.
equias celebrasse: qua de re testimoniū
ionysij Areopagitæ profertur, & luculen-
m illud quidem, atque à multis, vt Da-
asceno, Metaphraste, Nicephoro, Gly-
, Michaele Syngelo, Maximo Abbate,
ijsq. pluribus græcis tum repetitum,
m explicatum, vt nihil interim de latinis
riptoribus dicam in eumdē sensum con-
irantibus. *Quandoquidem* (Dionysij ad
imotheum Ephesinum episcopum scri-
ntis verba apponam) *apud ipsos quoque*
*stros à Deo afflatos sacrorum Principes,*

Vid. Canis. libro 5. de Deip. ca. 3.

Christoph. à Castr in histor. Deiparæ c. 20.

Carthagen de morte & sepultu. B. Virginis homilia 3.

Bonif. in hist. virgin. capite 19.

Dionys. lib de dininis nom. cap. 3.



*quando nos quoque, vt ipse nosti, & multi ex nostris sacris fratribus ad videndum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, conuenerant (aderat autem Dei quoque frater Iacobus, & Petrus, qui erat Theologorum suprema, & antiquissima summitas) visumque est, vt post illud spectaculum omnes sacrorum Principes hymnum canerēt, & laudarent, prout poterat vnusquisque infinitam bonitatem diuinarum virium.* Sic ille. Quæ verba de sancto corpore Beatæ Virginis, non de sepulchro Christi, Ioannisve domo; vbi Christus cœnauerat, intelligenda esse, ratio ipsa, oratioq. conuincit; & est communis concorsq. sententia sanctorū Patrum, atque Ecclesiæ Doctorum, qui hoc D. Dionysij grauissimum testimonium perpendētes, Dei prouidentiam admirantur, Apostolos vndiquè congregatos, ad suæ matris obitum illustrandum, funus faciendum, & exequias honestandas. Et licet nonnulli cum Francisco Turriano lib. 2. aduersùs Magdeburgēses, pro defensione Canonum Apostolicorum contēdant, secluso miraculo, fieri potuisse, vt Apostoli Hierosolymis cōuenirēt, ac præsentē Mariæ mortē cernerent, suaq. præsētia funus illius cohonestarēt: antiquorum tamen

Canis. loc. cit. Incof. in ep B. Virg. ad Messan. c. 8

men & grauissimorum sentētia est, illum
postolorum aduentū, miraculosum om-
no fuisse, cum momento temporis per
ra rapti fuerint, vt morienti Virgini ad-
ent. Nam præter Simeonem Metaphra-
m, Michaelem Syngelum, Nicephorū
listum, aliosq. id affirmantes; luculen-
id tradit D. Damascenus in oratione de
dormitione Virginis, vbi affert historiā
thymicam, quæ citat Iuuenalis Hiero-
ymitani episcopi confessionem, coram
arciano Cæsare factam, in hunc modū:
*Sancta quidem & diuinitùs inspirata
iptura, de decessu S. Deiparæ Mariæ nihil
ditur; ex antiqua autem & verissima
epimus traditione, quòd tempore glorio-
eius dormitionis, vniuersi quidem sancti
stoli, qui orbem terræ ad salutem gen-
n obibant, momento temporis in sublime
ati, conuenerunt Hierosolymis.* Hæc Iu-
alis coram Imperatore Marciano. Damasc. in orat. de ob dorm. Virg
Quæ Apostolorum subita translatio, &
aerem transuectio tali sanè miraculo
ribi potest, quale diuina scriptura, tum
phetæ Abacuc Dan. 13. tum Philippo
ipulo Act. 8. disertè largitur: nam vter-
per Angelum ex hominum conspectu
blime subuectus, per aerem citissimè,

& longo quidem viarum spatio confecto, pro nutu eiusdem Angeli transportabatur. *Lumen illud Hierosolymorum Apostoli* (inquit S. Germanus Archiepiscopus Constātinopolitanus in sermone de Obdormitione sanctissimæ Virginis Deiparæ) *Accesserunt ad te, ò Deipara, sicut & Abacuc propheta è partibus Osrhoenæ vnius horæ spatio per nubes raptus, & angelica dextera in Babilonem Persicam ad lacum Danielis trāslatus fuit. Verùm enimuero*, inquit Canisius, *siue per miraculum, siue sine miraculo, ad Mariæ mortem Apostoli conuenerint, diuinæ dispensationis hoc opus vtique proprium fuit, in quo Christus suam erga matrem curam, & dilectionem insigniter declarauit, cùm per lectissimos discipulos, & quasi aduentus sui prænuncios, illam in extremo vitæ spatio amanter inuisit, officiosè salutauit, fideliter consolatus est. Maria verò eosdem filij sui præcipuos Vicarios & Legatos agnoscens, & ob euangelici muneris, quo fungebantur, maiestatem honorans; non potuit eos reliquis credentibus non chariores habere, ac peculiariter venerari; præsertim quòd summis de rebus sæpè aliàs cum illis ipsis reuerenter conferre soleret. Illi verò (nihil ambigo) quin summopere desiderarent talem*

S. German. in serm. de obdormit. Deip.

Canis. loco cit.

ma-

*atrem, ac magistram, adeoque primariam ius Ecclesiæ columnam diù viuere supersti-m, cuius præsentiam, sapientiam, atque nctitatem, sibi, ac alijs valde frugiferam & lutarem esse persepè sensissent*. Hæc Ca-ssius.

Refert verò Pelbartus in Stellario coro-æ B. Virginis lib. 10. part. 5. art. 1. quòd uando Apostoli per nubes sublati, à locis, quibus prædicabant, ad Virginem, in ormitione eius, cōuenerunt, domum in-ogressi B. Virginem reuerēter salutantes, dorauerunt dicentes: *Aue Dei mater, gra-ia plena, Dominus tecum; benedicta tu in ulieribus: & benedictus fructus ventris ui*. At ipsa: *Auete, discipuli vnigeniti fi-ij mei*. Pelbart. in Stell. lib. 10.

*Porro cùm mater delectetur in filijs*, in-uit Pisanus, *proculdubiò & Virgo in Apo-olis, quos, vt filios diligebat*: quare ad in-tar veræ matris, ante suum ex hoc mun-lo ad Patrem discessum, voluit eos vide-e, vt suam benedictionem eis daret, eo-um præsentia lætificaretur; quæ per eos uus gesserat filius audiret; & coram ipsis omnum suæ dormitionis, Dei magnalia effantibus, acciperet. Considerandum ve-ò est, quanto Maria beata gaudio gesti-uit, Bartol. Pis. li. 5. de laudibus Virg. f. uct. 7.

uit, videndo Apoſtolos promptuaria Spiritus ſancti, cum quibus die Pentecoſtes nouo modo fuerat recreata, ipſosq. iuxta dictum filij: Sal terræ eſſe, lucem mundi, & lucernam ſupra candelàbrum poſitam, omni amore & dilectione digniſſimos. Sanè poſt dulcia vitæ colloquia, cùm ſanctis Apoſtolis B. Virgo ſuæ dormitionis tempus per mortẽ imminere expoſuiſſet, vehementer ob id ipſi indoluere: non Mariæ quidem gratia, quæ tot huius vitæ malis exempta longinquum explebat deſiderium, atque ad vitam longè præſtantiorẽ, quæ & ſola vita dicenda eſt, vocante Domino proficiſceretur; ſed propter Eccleſiam, cui certè acerbum quaſi vulnus erat, talis matris & doctricis, immo & rectricis præſentia, conſilijs, opera & auctoritate orbari atque deſtitui: quæq. vt ſemper hactenus, ita in poſterum etiam, ſi Deo ita viſum fuiſſet, tam pretioſo theſauro, tum iucundiſſimè, tum vtiliſſimè vti, fruique deſideraſſet.

Caniſius loc. cit.

Putat autem Damaſcenus Apoſtolos ſimul cum vniuerſo Eccleſię agmine B. Virginem morti proximam his verbis fuiſſe alloquutos: *Mane nobiſcum, quæ es noſtra conſolatio, quæ es nobis vnicum in terra*

Damaſ. or. 2. de Aſſũptione.

*ſola-*

*latium, ne nos relinquas orphanos, quæ es mater misericordiæ, venientes in periculum habeamus te laborum requiem, & sudorum refrigerationem: Tibi enim & manere volenti potestas in promptu est, & abire constituenti, nemo est, qui impedimentum afferat. Si abis, ò Dei arca, vnà quoque nobis, qui populus tuus, ob filium tuum vocati sumus, abire liceat: tu sola nobis in terra consolatio relicta es; & te viuente simul viuere, & moriente simul mori beatum est. Quid autem moriente dicimus? tibi enim mors quoque ipsa vita est, ac vita præstantior, atque hãc vitam incomparabiliter antecellens: nobis autem, quæ tandem vita esse queat, tua consuetudine orbatis?* Sic Apostoli, ingenti interim ex eorum oculis lacrymarum imbre profluente. Addiderunt ex Pontano Iacob. Pontan. l. 2. de Virg. matr.

*Heu quis casus atrocior,*
*Quod damnum exitiosius,*
*Quæ iactura nocentior,*
*Quæ clades lacrimosior*
*Vllis contigit annis!*
*O grex mystice, quæ tibi*
*Hæc dies mala contulit,*
*Quæ tantam tenebris suis*
*Lucem occumbere compulit?*
*O nati sine matre!*

*Ah*

*Ah, ah, flebilis orbitas;*
*Matrem perdere tam piam,*
*Paupertas miserabilis,*
*Quo nil diuitius magis*
*Thesauro spoliari!*
*Tu doctrix sapiens eras,*
*Tu rectrix vigilans eras,*
*Tecum noster honos abit.*
*Tecum delicia occidunt.*
*Tecum gaudia nostra.*
*Hem vita, hem decus ergone*
*Sic nos deseris orphanos?*
*Natus lumen erat tuus*
*Nobis, tute sed alterum?*
*Ah, amisimus ambo!*

Quorum vt dolorem, fletumque abstergeret pia mater, inter alia consolationis verba, quæ in decessu charissimis dici solent; hæc ab Auctoribus fide dignis protulisse narratur.

Metaphr. in or. de vita, & obit. B. Virg.

*Vos valete filij; meum autem hinc discessum ne luctu, sed lætitia potiùs prosequimini, quandoquidem vobis est persuasum nos transire ad gaudium.*

Amadæus in suis reuelat. rapt. 8.

*Ad Genitorem Genitrix pergo, à vobis filioli mei, hodie discedo. Corpore nunc vos dimitto, & animo non derelinquo. panem sanctum pariter frangamus, carnem filij mei*

ıei *ſimul comedamus*. Accepto autem orpore, & ſanguine Domini ab omnibus terum dixit: *Ecce cibum vitæ accepiſtis, ıon eſurietis, neque ſitietis, quouſque me epelietis, & in cœlum aſcendere me videbiis: in domo mea alios cibos non habetis, nec videtis. Et omnes erant communione illa confortati, & corroborati, ac ſi delicatiſſima quæque cibaria ſumpſiſſent: neque alio cibo illis diebus vſi ſunt, ſufficiebat enim illis eſca illa, & ille panis viuus*. Dixit ergo Maria. *Cōſtantes eſtote, firmi, & fortes, quia multas perſecutiones pro nomine Ieſu oportet vos pati, vt tadem corpore ſoluti, gloria paradiſi potiamini. Filius meus a vobis diſcedens, ſeipſum vobis vſque ad conſummationem ſæculi, in hoc ſacramento reliquit, quòd nulli alij corpori congruit: ipſe enim filius meus eſt panis & cibus, vinum, & potus animarum. Notum vobis facio filioli mei, quod gratia Dei, & Domini mei Ieſu Chriſti, etiam ego ero vobiſcum vſque ad cōſummationem ſæculi non quidem in ſacramento; quia id non licet, ſed in imaginibus pictis & ſculptis, & tūc ſcietis, quòd ego ſum præſens illi imagini, quando ibi fieri miracula videbitis*. Deinde dixit, *præceptum Domini, & mandatum eſt vnicum, ſcilicet, vt dili-*

*diligatis inuicem propter ipſum, & omnem dilectionem veſtram referatis in ipſum Deũ. Meum corpus in medio vallis Ioſaphat ſepelite, vbi eſt lapis, & ſepulchrum lapideum nouum, in quo nullus adhuc poſitus eſt, neque inde recedatis, quouſque anima iterũ vniatur corpori meo. Benedicat vobis omnibus Deus Pater, benedicat vos Deus Filius, & benedicat vos Deus Spiritus ſanctus. Valete omnes, & Mariam in vos clementiſſimam, & nunquam vos, aut genus veſtrum obliuioni tradituram pro certo cognoſcetis.*

Damaſc. ſer. 2. de dorm.
*Cùm autem* (vt Damaſcenus loquitur) *ad exceſſum è vita properantem, eiuſque cupiditate flagrantem Dei genitricem conſpexiſſent Apoſtoli: tum denique ad ea, quæ ad exitum pertinent, ſeſe conuerterunt; floridamque ei, ac multiplicem ſanctorum hymnorum corollam texuerunt, Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem in ipſa laudantes, diuina nimirum gratia perfuſi, atque os ſuum ſpiritui commodantes, extraque carnem abrepti, ac cum excedente Dei matre ſimul excedere cupientes, voluntatisque vigore, quoad eius fieri poterat, ante mortem excedentes.* Porro Apoſtolorum quemlibet Theotocon Virginem in eius dormitione, ante animæ egreſſum lucu-

:ulento ſermone celebraſſe; atque in ea-
m infinitam Dei bonitatem pro ſua viri-
audibus extuliſſe, præter alios doctiſſi-
os viros, teſtis eſt vir collectiſſimi animi,
madeus Franciſcanus in libro, prænota-
Apocalipſis Noua, in Regia Bibliotheca
ancti Laurentij Eſcurialis, atque alibi aſ-
eruato: vbi etiam quę tunc temporis in
antæ matris laudem vnuſquiſque Apoſto-
orum dixit, ex reuelatione S. Gabrielis (vt
piè credi poteſt) copiosè deſcribit, vt in-
fra in ſingulis referemus. Deipara iam mo-
riente, atque animam efflante, vt ex Coſ-
ma narrat Pelbartus, dixerunt Apoſtoli.

Amadeus in ſua Apocal. capt. 8.

Pelbart. in ſtell. lib. 10 p. 5. art. 1.

*Aue Regina cœlorum,*
*Aue Domina Angelorum,*
*Salue rædix, ſalue porta;*
*Ex qno mundo lux eſt orta.*
*Gaude Virgo glorioſa*
*Super omnes ſpecioſa:*
*Vale ò valde decora,*
*Et pro nobis Chriſtum exora.*

Fœliciſſimam deinde animam de corpore egreſſam tanti eſſe candoris conſpexerunt, vt nulla mortalium lingua poſſet effari. Vnde cum lacrymis cœperũt exclamare dicentes: *Virgo prudentiſſima, quò*

pro-

*progrederis valde rutilans. Esto memor nostri ò Domina.*

Vbi spiritum Deo tradidit Sanctissima Deipara, hoc primum Christi Apostoli (vt Bernardinus Bustensis enarrat) amoris, & reuerentiæ officiũ virgineo illi corpori, & singulari splendore, & pulchritudine coruscanti, ac suauissimum odorem emittenti (vt refert Sanctus Meliton de Transitu Virginis) exhibuere, vt illud genua flectentes religioso cultu venerarentur, amplecterentur, & oscularentur. Hoc ipsum in hæc verba tradit S. Ioannes Damascenus. *Qui aderant, metu, & desiderio, & lachrimis exultationis, diuinissimum, & sanctissimum circumsistentes tabernaculum, complectebantur, osculabantur; omnibus membris os admouebant, ex cõtactu repleti sanctificatione & benedictione.* Simeonis Metaphrastis similis est narratio in oratione de vita, & dormitione Virginis. *Cum,* inquit, *in orbem sanctum Virginis corpus circumdedissent Apostolorum chorus, & quidquid erat electum ex viris, & mulieribus omnia membra reuerenter amplexabantur, non solùm suũ ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere vtilitatem.* Ac tãdem Nicephorus lib. 2. cap. 23.

.Bust. ... Marial. tract. de Assupt. Virg.

Damasc. orat. de dormi. Virg.

Metaphr. loc. cit.

cap 23. ait: *Apostoli autem, &. qui præterea ibi aderant viri egregij, lectulum corona circundantes, reuerenter illam exosculabantur*. Accensæ deinde ab Apostolis lampades, sparsi flores, fusa vnguenta, hymni compositi & cantati in tãtæ matris commendationem: qui quidem hymni, licet nostram effugiant comprehẽsionem; quantum tamen assequi potuit Andreas Cretensis, fuerunt huiusmodi: *Hæc est finis testamentorum, quæ fecit Deus: hæc est declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incomprehensibilitatis: hæc est scopus, qui excogitatus fuit ante sæcula: hæc est summa diuinorum oraculorum: hæc est ineffabile, & quod planè cognosci non potest, eius, quæ est ante principium, curationis hominum consilium. Primitiæ communionis, & coniunctionis omnium genitoris Dei cum suo figmento: hæc est diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit, fideiussio, eximia pulchritudo, à Deo sculpta statua, rectè descripta diuini archetypi imago; totius contemplationis, & ascensus sustentaculum, sanctissimi Verbi omnium creatoris tabernaculum. Qui Deum suscepit, sapientiæ, quæ non potest exinaniri, crater. Vitæ, cui nihil potest auferri penarium. Fons, qui*

Niceph. lib 2. hist. Eccl cap. 23.

Authores cit.

Andr. Cret. in orat. 2. de Dormit. B. Virgin.

*non poteſt exhauriri, diuinarum illuminationum; potentia, quæ nequit labefactari, quatenùs nequaquam vincebatur ab animi perturbationibus, vt quæ erat puritate omnibus ſuperior: per hanc fuere nobis data pignora ſalutis. Hæc peperit eum, qui mortem ſuſtulit per obedientiam, ſola præter naturam fuit electa ad naturam renouãdam, ſola ſeruijt opifici vniuerſæ naturæ. Propoſitum eſt hoc commune reconciliatorium, omnes Deo reconciliemini. Ecce fons immortalitatis, qui non poteſt exinaniri; venite, qui morte affecti eſtis, haurite. Ecce vitæ fluuij perennes, adeſte omnes, efficiamini immortales: ò filia Adam, & mater Dei: ò mater ſine viro, & virgo, quæ filiũ paris: ò opus eius, qui in te factus eſt temporaliter, & non exceſſit à ſua æternitate. De te reſonarunt omnes Spiritus ſancti interpretes: Moyſes primus, cùm vidiſſet rubum, te prædixit, Trãſiens videbo viſionem hanc magnam: de te Dei pater Dauid Chriſtum rogauit, dicens; Exurge Domine, tu, & arca ſanctificationis tuæ: de te idem tuũ præfigurans egreſſum, prædixit; Vultui tuo ſupplices erunt diuites populi, Ecce enim, inquit, omnis gloria filiæ regis intrinſecùs in fimbrijs aureis circumamicta varietate:*

te Canticorum ſanctus liber prædeſcribens, myſticè præſignificauit; Quæ eſt hæc, quæ aſcēdit ex ſolitudine, tamquā rami fumi, ſuffita myrrha, & ture, & omnibus pulueribus pigmentarij? de te rurſus idem prius ſcripſit liber; Ecce, dicens, lectus Salomonis, columnas eius fecit argenteas, & reclinatorium eius aureum, aſcenſus eius purpura eſt, intra ipſum conſtratus charitate ex filiabus Ieruſalem; & rurſus, Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in corona, qua coronauit eum mater eius, in die deſponſationis ſuæ, in die lætitiæ cordis ſui; Videte eam filiæ Sion, & beatam eam prædicate; reginæ & pellices laudate eam, quoniam odor veſtimentorum eius eſt ſupra omnia aromata: te præuidens diuino Spiritu afflatus exclamauit Iſaias; Ecce Virgo in vtero concipiet, & erit radix Ieſſe, & flos e radice aſcendet: de te magnus prædixit Ezechiel; ecce porta, dicens, in oriente, & erit porta clauſa, & nemo ingredietur per eam, & dominus Deus ſolus ipſe ingredietur & egredietur; & erit porta clauſa: te quoquè prophetans vir ille deſideriorum, magnum vocauit montem, & lapidem ſine manibus viri ex te ſumptum, non exciſum; ... tum, non diuiſum aſſumptione noſtræ

*humanitatis. Tu es res illa magna veneran- dæ œconomiæ, quam cupiunt inspicere Angeli: tu es diuinæ demissionis pulchrum habitaculum: terra, quæ es verè desiderabilis; Rex enim desiderauit gloriam tuæ pulchritudinis, & amauit diuitias tuæ virginitatis, & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula, & per te Deo, & Patri nos reconciliauit: tu es thesaurus absconsi ante sæcula mysterij: tu es liber verè viuus eius, qui in te tacitè fuit inscriptus Verbi paterni viuifico thalamo Spiritus: tu sola verè es noui testamenti volumen à Deo scriptum, quod Deus ante fecit cum hominibus: tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quæ millia locupletum adduxisti ad eum carne tectum: tu es mons Sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacuit Deo habitare; ex quo in carnem concretus, quæ sicut nos, est intelligenter animata; is fuit coagulatus, qui est superessentialis. O diuinum templum, & homo terrestris: ò columna mortua, & viuifica columna, non carnalem per lucem deducis Israelem, qui fugatur; sed spiritalem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis diuinis illuminãs facibus: ò nubes tota lucida, & mons vmbrosus, non adumbrans ingratum populum*

*Iu-*

*dæorum; ſed electum Domini populum, ntem ſanctam, maternis tuis tedis illurans: ò quouis auro purior; & quauis ſen- , & immateriali natura: ò terra virgilis, ex qua ſecundus, & vetere antiquior ocesſit Adam. Quodnam ſepulchrum te get? quænam te terra accipiet, qui cœli, cœlorum naturam ſuperaſti ſanctitate? u verè es, quæ es reuerà pulchra et macula n eſt in te. parũ quid tibi quoq; accinat dinisſimus Salomon: Formoſa vt Ieruſalem, odor veſtimentorum tuorum tamquam lor Libani: Tu es noua theca vnguenti, uod minimè exinanitur: tu es olei vnctios exultatio: tu es aromatum, quæ inlligentia apprehenduntur, ſuffitus: tu es os incorruptionis: terra, quæ fers aroma- : lucerna luminoſa, quæ à Deo es contex- purpura. Indumentum regale, amictus Deo variatus: aurea ſpecie diplois, verbi urpuræ, quæ intelligentia percipitur, quæ on poteſt nominari tinctura: manu non fa- lum regni diadema. Thronus excelſus: por- ſublata ſupra cœlos cœlorum: Regina om- is humanæ naturæ, quæ habes non compa- abilem cum alijs appellationem, qua, exce- to Deo ſolo, es omnibus altior. Quænam te ianus ad ſepulchrum componēt? quibuſnam*

 *vlnis*

*vlnis portabimus eam, quæ eum portauit, qui minimè potest contineri? quasnam sepulchrales preces in te fundemus? quibusnã te deducemus canticis? quibusnam autem labris tuum laudabimus decessum? qua voce, quibus verbis magnalia tua ornatè enũciabimus? Quamobrem pro omnibus tales tibi voces offerimus: Beata es in mulieribus, & benedicta in generationibus: benedicta in cœlis, & glorificata in terra. Te enim gratè omninò lingua glorificat, matrem vitæ prædicans. Impletum est quidquid est creatum tua gloria. Sanctificatum est vniuersum vnguento boni odoris tui: per te deleta est peccati occasio; transmutata est in lætitiam primæ parentis execratio; omnes propter te nobiscũ canunt; gloria in cœlo, pax in terra: te nequaquam potest habere sepulchrum: corpus enim dominicum non delent ea, quæ intereunt: aduersùs te non valebũt inferi; animam enim regiam non attingunt ea, quæ seruiunt cum alijs. Abi ergo, abi in pace, migra ex ijs, quæ sunt in natura creata, mansionibus; placa Dominum pro communi figmento: nam quandiu quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio. Ex quo autem translata es à terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatoriũ.*

*Supra*

*upra Enoch magnificare : supra Eliam in- tum extollere, in lætitia, in gaudio ineffabili, in æterna luce, vbi est verè viuere, gnum totum lucidum, perpetua Angelorum orea, præterea fruere pulchritudine filij i, exple te delicijs, quæ non possunt exiniri, & beatitudine, in quam non cadit nectus, illic vbi est torrens æternarum deiarũ, vbi sunt prata incorruptionis, fons vitæ æternæ, fluenta lucis, quæ ex Deo aturit, fluenta semper viuentis lucis effunis: illic est finis eorum, quæ sunt sperata, quæ nunc sperantur: propalatio eorum, æ occulta fuerunt, & tunc solùm conspiuntur, comprehensio omnium bonorum, timus finis, vltra quem nihil est omnino: ic Pater adoratur, & filius glorificatur, & iritus sanctus laudatur; vnica natura nius, quæ in Trinitate est Diuinitatis.*
æc, & quæ sunt huiusmodi arbitratur ndreas Cretẽsis, Apostolos diuino Spiri- afflatos tũc & dixisse & hymnis celebras, & quæ etiam sunt his superiora.

Postmodum cereis ardentibus prælatis, vnguentis, floribusque iterum sparsis, ngelis cœlitùs pheretrum vel præeuntis, vel stipantibus, vel etiam consentibus, Apostoli hymnos rursùs & car- Authores sup. citati.

 mina

mina concinētes, intellectualem illam, atque ſpiritualem Arcam ex monte Sion in vallem Ioſaphat, in prædio, quod vocatur Getſemanes, vbi Dei genitrix ſepeliri ſe mandauerat, Apoſtolicis manibus, & humeris retulerunt, longè ſplendidiore, & venerabiliore facta deductione, quàm propter tranſlationem veteris illius Arcæ teſtamenti Domini, vt ſacra narrāt eloquia. Vbi autem ad Getſemane peruenerunt, amplexibus, oſculis, encomijs, hymnis ſacris, genuum inflexionibus, & lacrymis renouatis ſacratiſſimum corpus, quod vitam portauit, in ſepulcro, omni cum reuerentia depoſuerunt. Ibique cùm per tres dies honoris gratia in diuinis laudibus perſtitiſſent, continua cœleſtium hymnodia mirificè recreati ſunt, donec tertia poſt die, cùm ex eis vnus (Thomas ſcilicet) tardiùs veniſſet ad exequias, diuino ita prouidente conſilio, vt nota fieret corporis tranſlatio admirabilis, quò dolor eis adimeretur propter abſentiam, & cuius deſiderio ſatis fieret, iuſſum eſt, ſepulcrum aperiri, quo aperto, nequaquam theſaurus in eo reconditus, inuentus eſt; ſed ſepulchralia ſola linteamina rectè compoſita. quæ amplexi, & exoſculati, inexplicabili odo-

odore & gratia repleti egredientes, ſepulchrum quidem ad priſtinum modum conformarunt, id tantum pro certo habentes, per Angelorum manus beatiſſima anima viuificatum ad cœleſtia tabernacula à filio fuiſſe corpus translatum, vbi ſuper diuinorum ſpirituum choros ęterna potiretur fœlicitate. Ita Iuuenalis Patriarcha Hieroſolymitanus apud Euthimiacam hiſtoriam lib.3.c.40. Damaſcenus oratione de Dormitione Deiparæ. Nicephorus lib.2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.23. alijque communiter. At ſi Amadeo fidẽ adhibeamus; ipſe in ſuis Reuelationibus raptu 8. ex S. Gabriele Archangelo ſe didiciſſe commemorat, Deiparæ animam non diu poſt ad ſepulchrum reuerſam, Apoſtolis ibidem commorantibus, ſole fulgentiorem in maxima maieſtate apparuiſſe, eoſdemque longo ſpatio alloquutam. Dominum deinde Ieſum, cũ omni militia cæleſtis exercitus de ſuperna ſede aduenisse, Apoſtolos ſaluere iuſſiſſe, animamque Matris fælicisſimam corpori iterum coniungi præcepiſſe, ſurrexiſſe verè Mariam, & totam glorioſam & fulgidam, ſtola claritatis, atque immortalitatis veſtitam, de monumento prodijſſe, Apoſtolis videntibus, & præ cor-

Amad. in ſuis reuel. rap. 8.

dis

dis lætitia gestientibus: iisdem præterea comitantibus ex valle Iosaphat progressã, cum filio per aera ad montem oliuarum, atque inde omnibus suspicientibus, in cœlum ãnte faciem filij sui assumptam, atque in gloria maiestatis collocatam: tandem, regressos Hierosolymam Apostolos, gratias agentes de omnibus, quæ audierant, & viderant, annunciasse magnalia Dei in omnes gentes.

Nec diu, post B. Virginem in cœlo receptam, eiusdem B. Virginis fuit ad Apostolos illustris apparitio: nam vt ex Græcorum Horologio, & Iacobo Gretsero scribit Laurentius Landtmeter in opere de Vetere Clerico monacho lib. 2. cap. 46.

Laur. Landm. de vetere Cler. Monac. l. 2. cap. 46.

*Post Christi resurrectionem, ac Spiritus sancti descensum, Apostoli, ante quam in fines orbis terræ diuiderentur, viuebant communiter. Hi si quando post orationem, cibum capiebant, in relicto loco vacuo, quem Christo destinabant (vnde & puluinari sternebãt) fragmentum panis supponebant; &, mensa finita, certas, in honorem Christi, preces pronunciantes exaltabant. Faciebatq. hoc quilibet illorum, vbicumque tandem degeret vsque ad dormitionem Deiparæ. Factum est autem in eiusdem dormitione, vt Apostoli,*

cùm

*cùm iustis Virgini matri persolutis, ciboq. sumpto, panem Christo sepositum ex more exaltarent, quæ mortua fuerat, viuentis instar, nubibus, & lucidissimis Angelorum choris circumdata, in sublimi appareret: Aue, inquiens, ego vobiscum sum omnibus diebus: hoc solatium & gaudium verbis filij eius impertiens. Apostoli autem miraculo obstupefacti, loco eius, Domine Iesu Christe, (initium est consuetæ precationis) exclamarunt. Panagia. Sanctissima Deipara, adiuua nos.*

Iterum verò ad diuini verbi prædicationem in orbem diuisos, cùm Filio tantam quoque Matrem prædicasse quis animi pendeat? cùm quoties Deum carnem assumpsisse, ac natum fuisse demonstrare vellent, toties Virginem eius Matrem fuisse, simul necessario demonstrare cogerentur? Mirùm sanè in modum Deiparam Virginem in terra viuentes coluerũt Apostoli, nuncque etiam in cœlo degentes colunt, *sacrumque ei*, vt Ildephonsus loquitur, *obsequium reddunt*. *Te*, inquit Deiparam alloquens Ioannes Mauburnus. *Te gloriosus glorioso obsequio colit Apostolorum chorus*. Seraphicus quoque Pater Bonauentura in suo Psalterio. *Te gloriosus Apostolorum*

Ildeph. ser. 7. de Assũptione. Io. Mauburn in Rosar. de gloria virg membr 6. S. Bonau. in Psalte. B. Virg.

*ſtolorum chorus ſui Creatoris matrem collaudat.* Apoſtolicumq. ſecundans genium, ſic ibidem ſerit. *Glorificate eam chori Apoſtolorũ; laudate eã cœtus Apoſtolorum, &c.*

In hymno etiã Miſſalis Tornacen. vt habetur apud Parnaſsũ Marianũ ſic canitur.

*Salue decus Angelorum,*
*Et cunctorum electorum*
*Dei mater nobilis.*
*Te collaudat Angelorum*
*Chorus, & Apoſtolorum*
*Caterua dominica.*

Hanc adeò laudant, vt eorum *laus*; adeo honorant, vt eorum *honor*; adeo extollũt, vt eorum *præconiũ* à viris doctrina, atque ingenio præſtantiſſimis appelletur. *Hanc matrem amant, Dominam reuerentur, Reginam non ſine magno ſtupore demirantur. Huius vel in ipſo iudicio præcones erunt, eique gloriam afferent & honorem, quia eius doctrina irradiati, & Spiritu ſapientiæ illapſo cœlitùs confirmati, veri ſolis ſplendoribus Eccleſiam repleuerunt*, vt loquitur magnus Lauſãnẽſis Eccleſiæ Præſul Amedeus.

Io. Maubur loc. cit.

Bloſius Endelogia 2. 2. ad I. Vir.

Bonau. in Pſalter. B. Virg.

Petrus Damian ſerm. 1. de Natiu Virg.

Amed. Lauſan. homil. 8. de laud. Virg.

Iam verò de ſanctorũ Apoſtolorum, in glorioſam Deiparam pietate, ſingulatim agere aggrediamur. Ac primum ab omniũ Principe Petro, exordium ſumamus.

DE

# DE SINGVLARI S. PETRI Apoſtoli in Mariam Deiparam Virginem pietate.

## CAPVT II.

BEatiſſimus Apoſtolorum Princeps Petrus, Ieſu Chriſti Sacerdotis æteeni Vicarius,& Chriſtianorum Pontifex ſummus, cùm eximiam ſactiſſimæ Dei Genitricis dignitatem atque præſtantiam, puriſſimam quoque vitam & ſanctam actionem; necnon admirabilem & prædicabilem conuerſationem, vt Ildephonſus loquitur, probè cognitam, atque perpectam haberet, magno, & ſingulari quodam pietatis, cultuſque affectu, in eam honorandam propendebat. In tantæ autẽ amore Matris non poterat non vehementer accendi; cùm ſe eius precibus, velut pijs manibus, è profunda trinæ negationis fouea, erutum recordabatur. Hinc Iacobus Bidermannus in Heroum epiſt. lib. 3. epiſt. 2. Diuum Petrum è ſpelunca, in qua ſe amariſſimè deflebat, ad Beatam Virginem ſcribentem, eiuſque patrociniũ apud filium

S. Ildeph. ſerm. 5. de Aſſumpt.

filium offensum implorantem, his verbis inducit.

Iacob Bidern. in Her. epist. lib. 3. ep. 2.

*Accipe Virgo, mei genitrix dilecta magistri,*
*Mittitur è latebris, quae tibi charta meis.*
*Illam oculo dignare pio, licet impius auctor*
*Miserit, Authoris nil habet illa sui.*
*Quid velit expectas, q.dq.oret epistola? ferre*
*Quam propè sola mihi tu potes, orat opem.*
*Mater es, affer opem; læsi tua pignora, læsi,*
*Auxilio matris tam graue crimen eget.*
*Culpa fuit lacrymis si digna perennibus vlla,*
*Dilueret totis quam neque Nilus aquis.*
*Illa fuit, fuit illa meæ (nihil abnuo) linguæ*
*Ille fuit linguæ culpa pudēda meæ (Istri,*
*Hæc lacrymas, hæc poscit aquas, satis esse nec*
*Nec satis immensæ Thetyos vnda potes,*
*Nō potes esse satis, scio nō potes, indiget omni,*
*Quæq. fuit, q̄q. est, q̄q. erit, Auctor aqua.*
*Qualis, ait, tua culpa fuit? pudor impedit illā*
*Prodere; sed pudeat prodere, culpa fuit.*
*Interea pia mater opem, quam flagito, præsta,*
*Et veniam à nato, quam rogo, posce tuo.*
*Hoc precibus dabit ille tuis, neq; vota parētis*
*Irrita abire suæ filius vlla sinet.*

Vnde S. Gregorius Nazianzenus in tragœdia de Christo patiente, Deiparam Petri lacrymis, pecibusq. exortam, sic pro eiusdem peccati venia Iesv Christo filio locu-

ta tradit:

*O nate chare, o nate mi, o Verbum Dei,*
*Peccare cùm ſit inſitum homini, ignoſcito.*
*Quod Petrus in te admiſit, admiſſũ id metu*
*Turbæ irruentis, & frementis turbidum.*

Naziänz. in Traged. de Chriſto patiente.

Cui ſtatim filius:

*Iubeo nihil te hic anxiam, o Virgo parens;*
*Condono Petro quidquid eſt lapſus, tua,*
*Vel vnius gratia: nam & ante etiam tibi*
*Es me obſequentem experta ſemper filium.*

Augebatur in corde Petri virgineus amor, dum alia ſingularia Dei beneficia conſiderabat, à Virginis in ſe beneuolentia deriuata: non enim ignorabat, tam benigna matre precibus inſtante, cum cætera Eccleſia, ſe è carcere & vinculis mirabiliter liberatum, cum Iacobo Ioannis fratre occiſo, ab Herode comprehenſus, & quatuor quaternionibus militum cuſtodię traditus, poſt Paſchæ celebritatem populo erat ad mortem producendus, vt Apoſtolorum geſta commemorant. Sicut autem Deipara nõ modico dolore affecta eſt, cùm Petrum à Iudæis cuſtodię traditum percepit, ſic ſumma perfuſa eſt voluptate, cùm diſruptis catenarum laqueis, eum omnino liberum, ad ſe redeuntem conſpexit. Quòd ſi fomẽtũ amoris ſimilitudo eſt, quo-

Act. 12. Vide Chriſtophorus à Caſtro in hiſt. Deip. cap. 18.

nam

nam pacto mutuus in Virgine & Petro non regnaret amor; quos cùm in alijs, tũ verò in ipso baptismate Deus opt. max. similes effecerat. *Christus enim*, vt in cap. 3. Ioannis, tradit Euthymius, *non nisi Petrum, & virginem Mariam matrem baptizauit*, Ob ardentissimam autem deuotionem, quam erga pijssimam Virginem gerebat Petrus, eius in sacris mysterijs memoriam recolẽs *Genitricem Domini & Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, & Deiparam dominam nostram immaculatam, & gloriosam*, nuncupabat, v patet ex eius Lyturgia, quam studio, & ex interpretatione Guilielmi Lyndani episcopi Gandauensis editam, ac tom. 1. Bibliothecæ magnæ veterum Patrum adtextam habes. Quapropter vir pius, doctus, atque eruditus in paucis Melchior Incopher Austriacus in sua coniectatione epistolæ beatæ virginis Mariæ ad Messanenses cap. 2. de eodem S. Petro, ac eius Lythurgia locutus scripsit: *Quid hìc commemorem Petrum Apostolorum Coryphæum, qui diuinitùs iniecta mente, quemadmodum in carne Dei viuentis filium excelsa quadam constantia pronunciauit, ita Virginis matris augustum nomen, arrepto Saluationis angelicæ*

Euthim. in c. 3. Ioann.

Lyth. S. Pe tom. 1. Bi mag. Pa rũ

Melch. Incoph. in epist. B. M. Virgin. ad Messanen. capite 2.

præ

*præconio, quod nihil eo sanctius efferre posset, non ipse sacrauit modò, sed lythurgicis sacramētis inauguratum, vniuerso orbi christiano, præcipuo quodam sãctitatis cultu propoſuit adorandum. Idq. credas velim, non carne & ſangnine reuelante, ſed ſpiritu Patris æterni, quem aliquando cœlo effudit, ſuggerente, quòd nempe Virginis adorandæ partus, ſalutis extitit exordium, cuius in Cruce peractæ memorandum, in hac ſacra functione, recolitur myſterium. Vnde etiam de cœtero (quemadmodum pius ait Anonymus) in hac venerabili commemoratione Sanctorum prima ponitur Virgo, per quam & ille & nos meruimus auctorem vitæ ſuſcipere. Non neſcio ſubdubitare quoſdam, An hæc ſalutatio, magnis alioquin fœta ſacramentis, è Petri lythurgia ritè ſaperet: ac planè alijs viſum fuiſſe, priuata quorumdam pietate, quemadmodum alia non pauca, fuiſſe canoni immiſſum, cùm & alieno loco poſita eſſet, & cum præcedentibus aptè minus cohæreret. Mihi tamen, indiſtricto meliora ſapientis animo, fidem facit coniectura maiorem, eamdem, Iacobi lithurgiæ primùm, deinde & Marci ſeorsìm inſertam, vtriuſque ſanctitatem commendare; nec orationis contextu minus, quàm ſignificatione my-*

Anonym. de actione miſſarum apud Lindanum.

*ſterij perappoſitè inſidere, quando & in Iacobi lythurgia, inter miniſtrorum deprecationem, & eiuſdem Deiparæ commemorationem, velut ſpiramentum quoddam euangelicæ gratiæ, intercedat. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui; quæ Saluatorem peperiſti animarum noſtrarum; vt quemadmodum iſta quondam oratio, flexit in reparandæ ſalutis ſententiam; ita deinceps ad augendam, in mortalium animis, Dei gratiam, blando quidem ſed forti conciliatu permoueat. Ea propter, etſi non pauca, per conſequentes ætates, pietate Pontificum ad eam acceſſere lythurgiam; eam tamen ſalutationem, & repetitam Nuntij cæleſtis, dicam, & Eccleſiæ totius apprecationem, ab ipſomet Petro meditatè fuiſſe interiectam, alienum à re non puto. Quin verò & Iacobum, exemplo Principis Apoſtolorum, & Marcum, magiſtri imitatione ſuis quoque lythurgijs eam intuliſſe, idq. pridem ante quam ipſe Romanam Sedem fundare incepiſſet. Enimuero cùm, vt Lindanus ait, anno nimirum decimo, Petrus à Chriſti paſſione atque reſurrectione, & in cælum aſcenſione, Romam tandem venerit, vero non eſt ſimile, ipſum totum decennium, aut non fe-*

Lyndan. in annotat. in Liturg. Petri.

*ciſſe*

*cisse officium Pontificis, aut Iudaico vsum ritu: nam Deo ingratum vixisse toto illo decennio, citra omne sacrificium, extremæ foret impietatis de eo vel suspicari. Sic iste. Vnde tandem concludit, alibi quàm Romæ, hanc, vt ait, missam compositam, pluribusq. pro eiusdem germanitate stabilienda velitatur.* Hactenns Incofer. Sed neque his cancellis Petri iu Virginem pietas conclusa est. Antiochiæ enim degens, plurimas siuè à Luca, siue ab alijs factas Deiparæ Virginis imagines procurauit, vt eas ad gentes secum exportaret, teste eodem Incofer loco supra citato cap. 57. Incof. loc. loc. cit.

Dum in Syriæ partibus moraretur, honori Deiparæ, adhuc in terris agentis, sacellum erexit, à Iacobo Vitriaco Cardinali, qui obijt in Syria anno 1244. his verbis memoratum: *Anteradensis ciuitas (sic dicta, quasi ante Aradum sita, vulgari autem appellatione hodie dicitur Tortosa) in qua B. Petrus Phœnicem circumiens, cùm à partibus Hierosolymitanis, transiret in Antiochiam, in honorẽ beatissimæ virginis Mariæ modicam fundauit Ecclesiam, in qua etiam diuina celebrauit mysteria, quæ vsque hodie in magno habetur honore, & multorum populorum accessu frequentatur: eo-* Iacob Vitriac. in Histor. oriẽt. cap. 44.

ac diuina mysteria celebrauit, teste Dionysio Bonifacio in Triumpho Sanctorum Regni Sardiniæ lib. 1. cap. 5. Nec Lybicum præteribo templum, quod in eiusdem sanctæ Dei genitricis honorem, vnà cum alijs Apostolis, non sine miraculo, dedicauit. De quo in Mariali manuscripto pergamenaceo Bibliothecæ Norbertinæ Tungerloensis, vt refert Augustinus Vvichmans lib. 1. Brabantiæ Marianæ cap. 3. hoc scriptum reperitur: *In Lybia ciuitate, quæ proxima est ciuitati, quæ vocatur Diospolis, est imago quædam sanctæ Dei genitricis sẽper Virginis Mariæ, quæ non est facta manu hominum, sed quasi picta super marmor, in figura, quasi viua in corpore sit; vestimenta autem eius quasi purpura sunt: quæ imago est in Ecclesia, quam sancti Apostoli emerũt pretio à Iudeis, qua vtebatur Synagoga, & in honorem sanctæ Dei genetricis dedicauerunt, quæ modò est domus Episcopi. Inuidẽtes autem Iudæi, quòd sancti Apostoli de Synagoga, eamdem domum Dei fecissent, & Christum in ea prædicarent, venerũt ad Cæsarem, qui tunc illo tempore præerat, volentes reddere pretium Apostolis, & recipere illam domum, vt ædificarent Synagogam. Vocatis autem Apostolis ad Cæsarem, vene-*

Dionys. Bonif. in triũ. SS. Regni Sardiniæ l. 1. cap. 5.

Mariale M. S. Bibl. Norbert. apud Aug. Vvichmans.

*runt ante illum, & interrogauit eos, propter quam causam hoc fecissent. Post interrogationem verò dixerunt Apostoli: Nos benè fecimus, ædificantes domum, quam emimus, in honorem Saluatoris nostri Iesu Christi. Tūc prædictus Cæsar præcepit Iudæis, & Apostolis, vt sigillarent vtriquè hanc domum, & obseruarent dies quadraginta, vt Deus manifestaret, cuius esse deberet. Ascendentes autem Apostoli in montem Sion, vbi B. Virgo adhuc viuens in carne morabatur, rogauerunt eam, dicentes: Tu beata virgo Maria, obsecra Dei filium, dominū nostrū Iesum Christum, quem secundum carnem tu mater genuisti, vt secundùm suam misericordiam, domum hanc, quam primam omnium in tuo nomine dedicare curauimus, ad prædicandum verbum ipsius, nobis concedere dignetur. Respondens igitur beata virgo Maria B. Petro ait: Ite, & nolite turbari, quia ego vobiscum sum in ipsa Ecclesia in adiutorium. Transactis autem quadraginta diebus, venerunt Apostoli ad prædictam Ecclesiam & Iudæi, & inuenerunt velut reliquerant, ipsam domum signatam: statim cœpit B. Petrus Apostolus domum hanc scopis mundare. Tunc vnus ex Iudæis, aspiciens in parietem, vidit imaginem in occidente positam,*

tam,

*tam, respicientem ad orientem: diù autem attentus conspiciens ipse Iudæus dixit. Verè mulier est in hac domo. Hæc verba alij Iudæi audientes, & ipsam imaginem respicientes dixerunt. Verè hæc, est ipsa Maria. Tunc B. Petrus Apostolus seorsum respiciens, vidit ipsam imaginem & dixit. Verè hæc est ipsa Maria, & Dei genitrix: quod audientes Iudæi, turbati sunt, & præ timore inde abierunt, dicentes. Iam quia Maria est in hac domo, nequaquam intrare debemus. Postea verò Iulianus, qui persecutor Ecclesiarum fuit, inter cætera mala, quæ faciebat, præcepit Iudæis, vt venientes, tollerent ipsã imaginem, & expellerent de ipso marmore, atque offerre sibi studerent: illique abeuntes, voluerunt ipsam figuram de ipso marmore separare: sed videntes faciem ipsius imaginis, præ timore reliquerunt eam, & dimissa, vsque in hodiernum diem ibi perseuerat.* Hactenus præcitatus M.S. Codex.

Cùm autem Apostolorũ Princeps Petrus, Mariæ adhuc viuenti ędes sacras aliquando excitarit, neminem fuisse Apostolorum Incofer existimat, qui eiusdem exemplo, in sua quisque Prouincia, pro Virginis honore, idem præstare non sategerit. (Incofer. in epi. ad Messan. cap. 20.)

Beatissimæ Virginis obitu instãte, non

 sine

ſine prȩſagitione diuinitus iniecta conuocatus, adfuit etiam admirando ſpectaculo D. Petrus, qui poſt Deiparam omni affectu ac reuerentia, coram alijs Apoſtolis, viriſq. apoſtolicis ſalutatam, eiuſdem Deiparæ laudes (vt ex reuelatione S. Gabrielis Archangeli in ſua apocalypſi refert Amadæus) enarrare cœpit in hũc modum: *Scio, fratres mei dilectiſſimi, notum eſſe omnibus vobis, quantæ dignitatis ſit hæc, quam coram vobis cernitis virgo, in qua etſi omnes ſint collectæ virtutes, omniaque collecta dona, feruor tamen diuini honoris, & zelus diuinæ venerationis in ea ſuper omnia effulſit: quia etſi verè Deo nihil maius ſit, vel eſſe poſſit, homines tamen (etiam ſancti) quadam familiaritate Dei aſſueti, ipſum tamquam amicum quemdam & familiarẽ exiſtimãt, & non tanti eum faciunt, quanti ipſe eſt. Sed hæc, quamuis ſemper gratiam Dei habuerit, Deumq, ipſum viderit, & ab eo ſuper omnes exaltata fuerit, ſemper tamen quadam ineffabili humilitate, ſe quotidie minorem exiſtimans, & Deum, quo maagis ei indies appropinquabat, à ſe rèmotiorem exiſtimabat: remotiorem dico, quia ſemper ipſum digniorem iudicabat. Hæc eſt illa, quæ dum eligeretur in matrem Dei, dixit: Ecce*

Amad. in ſua Apocal rapt. 8.

*An-*

*Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Hæc est illa, quæ iam electa in matrem Dei, statim filiò dicebat: Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. Quò ergo magis crescebat, eò se minorem censebat: & quo minor erat in oculis suis, eò maior coram Deo efficiebatur. Rectè id egit, quia omne bonum sibi collatum, donum Dei fuit; & nihil habebat, quod non acceperit. Omnia in ea sunt laude digna; sed omnia vobis fratribus meis, me peritioribus, non sunt recensenda. Cætera igitur omnia relinquens, hoc solum dicam eo quòd magister noster, Christus Iesus dixit: Qui se humiliauerit, exaltabitur; & qui plus se humiliauerit, maior erit in regno cœlorum. Quia ergo domina nostra Dei genitrice nemo humilior fuit, iustum est, vt in regno cœlorum, nemo sit maior, atque sublimior ea. Nos igitur, fratres charissimi, humilitatem Reginæ nostræ, virginis Mariæ imitemur, & quoad possumus, vestigia eius sequamur; vt ille, qui eam super omnes sublimauit, nos quoque tantæ gloriæ, ac sublimitatis participes efficiat, qui cum Patre suo, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

*Postmodum*, vt eodem S. Archangelo reuelante, prosequitur iam fatus Amadæus, Idē Amad. loc. cit.

*alios*

*alios Apostolos, vt ipsi quoquè, in Dei matris commendationem, aliquod dicerent. accersiuit Petrus; omnesque, secundum gratiam à Deo sibi collatam, breui eloquio tantam matrem laudibus celebrarunt. Antequam verò Paulum vocaret ad dicendum, ei, coram Dei genitrice, locum inter Apostolos assignandum curauit*, vt pleniùs in Paulo, paulò infra referemus. *Laudibus Apostolorum expletis: Petrus à Virgine iussus, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum consecrare, vt eo omnes vnà reficerentur, accepit ipse panem, & benedixit; & cum particulam vnam accepisset, & Mariæ dare vellet: illa, voce aliquantulum eleuata, in feruore spiritus dixit: Ecce video filium meum; ecce intueor Deum meum. Deinde dixit Petro, quem & patrem, honoris gratia; appellabat: Particulam istam repone, communionem omnibus his prius dabis; ego verò vltima sumam, vt viaticum integrum mecum deferam. Accepto itaque corpore & sanguine Domini ab omnibus, Maria iterum dixit Petro: Tu Petre, cum omnibus his, Christum per passiones multas sequèris; & hoc est, quòd filius meus Dominus Iesus tibi dixit, quando dixit, Sequere me, scilicet, per mortem & passionem, &c. Vale, Petre, pastor etiam*

*meus,*

*meus, quia & ego Christi Domini ouicula sum. Saluteq. singulis impertita: Da mihi, inquit, Petre, pastor ouium Christi, particulam repositam, vbi manet, & stat situs, totus filius meus dilectus. Tunc Petrus suscipiens particulam illam, obtulit eam, maximo cum tremore & reuerentia, sanctissimo ori eius; & ipsa deuotissimè sacrum viaticum suscepit; eoq. suscepto, mox anima eius è corpore egressa est.*

Cùm diuinum Mariæ corpus (quemadmodum ex Melitone, Damasceno, Metaphraste, Nicephoro, alijsq. non paucis habemus) magna cum gloria ad sepulcrũ Apostolorum humeris portaretur, accidit, vt insanus quidam, de genere sacerdotum, furore atque ira percitus, diceret: Ecce tabernaculum illius, qui nos turbauit, & omne genus nostrum: qualem gloriam nunc accipit! accedensque, euertere pheretrum, & corpus ad terram deijcere tentaret; sed statim secuta vindicta diuinitùs est: nam manus eius à cubitis aruerunt, lectuloq. adhæserunt, ita vt eleuantibus Apostolis pheretrum, pars eius penderet, & pars ad pheretri lectulum adhæreret. Cùmq. miser ille vehementi supplicio torqueretur, ad Petrum conuersus, dixit:

Melit. Sard in tract. de transl. V. M in Bibl. vet Patrum.

Damasc. in ora. de dormit. Deip.

Metaphrs orat. de vit & obit. Deiparæ.

Niceph. l. 2 hist. Eccl. cap. 22.

dixit: Deprecor te, dilecte Deo Petre, nè me despicias in tanta necessitate, quia tormentis magnis crucior valde. Tunc respondens Petrus, ait: Non est meum auxiliari tibi; si autem credideris toto corde in Dominum Iesum Christum, quem in suo vtero sanctissimo, hæc, cui calumniatus es, virgo portauit, & post partum virgo permansit, clementia Domini, & larga eius pietas, quæ saluat indignos, dabit tibi salutem. Ad hæc ille respondit: Omnia credo, quæ dicis; tantùm precor, miserere, ne moriar. Tunc Petrus fecit stare lectulum, & ait illi: Si credideris toto corde in Dominum Iesum Christum, soluentur a feretro manus tuæ: & cùm dixisset, Credo; statim solutæ sunt manus eius à feretro, & cœpit stare pedibus suis; sed erant brachia eius arida, & non discessit ab eo suppliciũ. Tunc Petrus ait illi: Accede ad hoc corpus, & osculare lectulum, & loquere, & dic: Credo in Deum & in Dei filium, quẽ ista portauit, Iesum Christum, & credo omnia quæcumque locutus est mihi Petrus apostolus. Et accedens osculatus est lectulum; & statim omnis dolor abscessit ab eo, & sanatæ sunt manus eius; & cœpit laudare & benedicere Deum largiter; &

de

de libris Moysis, testimonium reddere laudibus Christi; itaut etiam ipsi Apostoli mirarentur, & flerent prægaudio.

Corpore B. Virginis tumulato, Petrum de eiusdem B. Virginis pietate, quam erga se & alios ipsam ostendisse perspexerat, sermonem habuisse tradit Pisanus lib. 5. de laudibus Virginis, fructu 8. Pisan. lib. 5 de laudib. Vir. fruct. 8

Nec verba dulcissima omittam, quæ Amadeo iã supra memorato, imo Archangelo Gabriele auctore, Mariæ, iam toti gloriosæ ac fulgidæ, post felicissimam animam corpori vnitam, ac filij ad eam aduentum, pro omnibus mortalibus locutus est Petrus, dicens: Amad. loc. cit.

*Oleum effusum est à Iesu nomen tuum; ideo adolescentulæ te dilexerunt.*

*Introduces ecce, o Rex, Mariam in cellaria tua, & exultabit & lætabitur in te.*

*Inuenit, quem diligebat anima eius; tenet neque vmquam dimittet.*

*Introduxit enim eam in domum matris, & in cubiculum genitricis suæ.*

*Inspicite regem Christum, in diademate suo, quo coronauit eum mater sua.*

*Fulciamus eam floribus, stipemus malis; quia amore filij languet.*

*Trahe nos quoquè, o Maria; post te: cur-*

re-

*remus in odorem vnguentorum tuorum.* Sic ille:

Refert etiam Cosmas cognomento Vestitor, apud Pelbartum in Stellario coronæ Virginis lib. 10. part. 5. artic. 1. sanctum Petrum, Deiparam virginem in cœlum abeuntem, his dictis compellasse: *Gaude cœlestium thalamorum sponsa, tetrarchici luminis candelàbrum, per quam est æterna claritas manifestata.*

Cosmas vestitor apud Pelbart.

Porrò nostri sæculi eximium decus Lælius Guidiccionius, in sua Ara maxima Vaticana, de S. Petri Apostoli erga Deiparam virginem pietate, studijsq. locutus, heroico carmine sic cecinit:

Die 7. Iulij currẽtis anni, dũ hæc typis cõmittũtur, obijt Lælius in Vrbe, magno amicorum mœrore, erga beatissimã virginem Dei matrem, in omnibus ei Romę dicatis Ecclesijs, egregijs suæ pietatis relictis monumentis.

*Sancte Pater, Galilææ senex, fortissime ouilis*
*Custos Romulei, salue, tibi contigit vni*
*Xp̃i implesse vices primũ, mox Virginis ore*
*Christiparæ alloquioq. frui, cœlestia facta,*
*Genus, & studia, & mores tibi nosse licebat.*
*Salue, magne senex, lateri tu fidus inhæres,*
*Dum sonitu adspiras, cælũ discedit, & intra*
*Conclaue interius iaculatur flammea dona.*
*Et desiderio tabentia corda fideli*
*Solatur, dupliciq. æstu compensat amorem*
*Aestiferum, carosq. ignito vertice signat.*
*Prætereadum digressus meditata supremos*
*Tanta oculis Regina viam designat olympo*
*Vnde-*

*Vndenos inter proceres (nã Dydimus abſens*
*Nõ explet numerũ) ſamulãtũ, et mira canẽtũ*
*Inter pennigerum cœtus, ſuſpiria cordis*
*Virginei, atq; ignes, & verba nouiſſima cõdis*
*Luſtralesq. adhibẽs ĩ mẽbra haud indiga lym-*
*Lymphas cõtactu puro, puriſſima poſt hac (phas*
*Dona ſacras: fortunatũ neq; deſeris vmquã*
*Ceruical; poſitoq. genu, lacrymisq. profuſis*
*Dum terris ſupereſt, animatum ſidus adoras*
*Vndãtis pelagi, tua quod ratis inclyta ſulcat,*
*Et nitidam cœli portam venerarís, vbi ipſe*
*Clauiger es quõdam lectus, ſanctumq. cubile*
*Contingens fletu prædulci; & multa precatus*
*Pro ſocijs, pro deſertis munimine terris,*
*Hanc ipsã imploras, ſolidũ munimen ab alto,*
*Expectata diu quò tandem regia virgo*
*Succeſſit; mox orba ſacro cum pignore buſta*
*Sũt luſtrãda; tuis patuit ſcrutabile marmor*
*Auſpicijs, quãdo hæc iã tũ, tua sũma poteſtas,*
*(Tãta fuit terris, q̃to eſt ñc maior ab aſtris?)*
*Pandere theſauros, reſerare & pignora cœli.*

A tanto magiſtro pietatem erga Virginem didicerunt eius diſcipuli Marcus, Maternus, Martianus, Euodius, Sauinianus, Potentianus, Georgius, Fronto, Trophimus, Proſdocimus, Paulinus, vt alios breuitatis ſtudio prætercam. Quot enim, & quanta in ſacra ſua lythurgia (quæ à Cardinali

Ex liturg. S. Marci tomo 1. Bibl. vet. Patr.

dinali Sirleto edita, atque è græco sermone in latinum conuersa, extat cùm alibi, tum tom. 1. Bibliothecæ magnæ veterum Patrum) de B. Virgine laudum ornamẽta congerit Marcus euangelista! Vocat *Plenam gratia; benedictam in mulieribus, quia peperit Saluatorem animarum nostrarum, sanctissimam, intemeratam, illibatam, immaculatam, dominam nostram benedictam, genitricem Dei, & semper virginem.* Tribuitur ab aliquibus S. Marco, Aethiopum lythurgia, quæ S. Mariæ sæpius meminit, eiusdemq. laudes luculentissimè celebrat. In ea etenim hæc interseruntur verba: *Salue virgo Maria Dei genitrix; tu es turribulum aureum, quæ carbonem ignitum portasti. Lætare Domina, quia salutem sanctam deprecamur: o Virgo in omni tempore mater Dei & Christi, effer sursum & in altum orationem nostram apud electos filij tui, vt remittantur peccata. Lætare Domina, quia peperisti nobis lumen verum, Iesum Christum Dominum nostrum: ora pro nobis apud eum; vt misereatur animæ nostræ: ora pro nobis in conspectu throni filij tui Iesu Christi. Lætare immaculata, verè Regina. Lætare gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emmanuelem. O verè me-*

Vide Salazar in tract. de Cõcept. B. V. c. 42. sec. cul. 1.

dia-

*diatrix ante Deum nostrũ Iesum Christum, te supplices exoramus, vt memor sis nostri; ora pro nobis, vt deleâtur iniquitates nostræ.* Item: *Serui tui hodie ministrantes Sacerdos & Diaconus, & omnes ministri, populus, & ego pauper seruus tuus & peccator, absoluamur per os Trinitatis sanctæ, Patris, Filij, & Spiritus sancti, & B. Mariæ cœli secũdi.* Item: *Recordare Domine Iesu Christe in regno cœlorum, omnium illorum, qui à nobis petierunt, vt recordaremur eorum, o Domine, libera populum tuum, & benedic hæreditati, ac nutri eum, & exalta vsque in sæculum: custodi eos in recta fide, & in gloria omni tempore: & fac, vt ferueant inneffabili, & inexcogitabili charitate, per preces, & intercessionem, quam pro nobis facit, Domina nostra, sancta & immaculata virgo Maria.* Item: *Hoc est corpus, & hic est sanguis, Domini, ac seruatoris nostri Iesu Christi, quod & quem assumpsit ex Domina nostra, sancta & immaculata Virgine Maria.* Denique: *Gloria sit Domino, qui dedit nobis corpus suum sanctum, & pretiosum sanguinem suum: gloria sit Diuæ Mariæ, quæ est gloria nostra, & quæ parturijt nobis sacrificium.*

Tribuitur eidem ordo baptismi secun-

dùm vſum Aethiopum, qui virginem genitricem Dei Mariam, plenam gratia, atq; in omnibus ſanctam appellat, eiuſdemq. interceſſione, Domino ſupplicat, dicens: *Custodi, Domine, populum tuum, in rectitudine fidei, tempore vitæ ſuæ; & ſit in charitate, quæ ſuperat omnem pacem, interceſſione plenæ gratia virginis genitricis Dei Mariæ, quæ in omnibus eſt ſancta.*

Contendũt nonnulli, ſanctum Marcum è lingua patria, hoc eſt, Galilæa, Syriacè tranſtuliſſe non modò euangelium ſuum; ſed etiam cœteros omnes noui teſtamenti libros; ibiq omnia Virginis feſta, ſi vnam Natiuitatem adimas, ſub varijs ſectionibus ac titulis adnotaſſe. De qua re optimè omnino P. Ferdinandus Quirinus de Salazar in tract. de Concept. B. Virg. cap. 35. §. 1. & Petrus de Oyeda in ſua informatione eccleſiaſtica pro Conceptione immaculatæ virginis Mariæ cap. 2.

Sed ſanctiſſimę Virginis amatorem feruidum, ac laudatorem eximium ſe magis apertè declarauit Marcus, in oratione illa, quam, poſt Apoſtolos, in eiuſdem Virginis dormitione habuit, in hæc verba: Amad. loc. cit. *Receſſuræ à nobis, corporali præſentia matri Dei & ad æthereum thalamum acceſſuræ,*

om-

*omnes nos commendemus. Laudatissimam ipsam Virginem omnes amplè laudastis, omnesq; proculdubio à laude defecistis. Si nãq. omnia grana arenæ maris; omnia folia herbarum; omnes guttæ maris; omnes stellæ cœli; omnia lilia, rosæ, & alij flores; omnia animalia, artus & partes eorum; omnes Angelorum exercitus; & quæcumque alia excogitari possunt, in linguas conuerterentur, & mille annis loquerentur, quanta & qualis sit hæc Virgo, quam laudamus, numquam exprimere possent. Laudauimus, non quantum debuimus, quia id impossibile est, sed quantum potuimus. Tu quoquè nos filio tuo, o pijssima Dei genitrix, & si non quantum potes, saltem plus quàm meremur, commendabis; vt vnà tecum, tempore suo, gaudia æterna possidere valeamus; præstante illud, tuis obsecrationibus, Patre, Filio & Spiritu sancto vnico Deo, cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Sic ille; quem propterea Dei mater, à nobis corporali præsentia recedens, atque ad æthereum thalamum accedens, hac salutatione honoratũ dimisit: *Vale Marce, Pastoris nostri discipule charissime, & Euangelij tui verba, longè, latèq. diffunde:* vt ex reuelatione Gabrielis, in sua Apocalypsi refert Amadæus.

Quid verò S. Maternus? Hic, postquam à morte mirabiliter ad vitam esset excitatus, in Germaniam missus, Tungrenses, Colonienses, Treuirenses, aliosq. finitimos populos ad Christi fidem perduxit. Nasteriæ verò (quæ hodie in diœcesi Namurcẽsi Benedictinorum abbatia est) Ecclesiam consecrauit, vt scribit Riccardus de Vvassemburg, Archidiaconus Virdunẽsis lib. 3. antiquitatum, hisce verbis: *Erat autem Nasteriensis Ecclesia, à priscis temporibus, à S. Materno Petri Apostoli discipulo consecrata.* Cuius verò in honorem? certè non alterius, quàm santissimæ Deiparæ; cuius ex magistri sui institutione fuit cultor eximius. Sic nos docet, ex historia ecclesiastica Belgij Guilielmi Gazæi, Heribertus Rosuuedjus, in sua historia Belgica, ad annum 656. In vrbe autem Tungrẽsi, tunc frequentissima, vbi diligenti admodũ superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum, confutato dæmonum cultu, & sacrilegiorum impietate destructa, templum B. Mariæ, semper virgini, Dei genitrici extruxit & consecrauit, vt ab omni nationum genere coleretur, quæ in eadem vrbe erant vndequaque cõgregatæ. Atq; vt

Spinell. in thron. Deiparæ c. 29.

Aug. Vvichmãs in Brabãt. Mariana, l. 1. c. 4

Richardus Vvassẽbur.

Heribert. Rosuued.

vt res illa difficillima, de extirpanda nimi-
rùm idololatria, & vexillo crucis Christi
apud Gentiles erigendo, quæ ipsis vide-
batur stultitia, optatum posset consequi
effectum; probè sciens, quæque ardua pro-
cessura feliciter, quibus B. Mariæ virginis
faueret gratia, & aspiraret auxilium; eius
cultui & precibus putauit innitendum,
quæ apud Aegyptios filium suum comple-
xa, idololatriæ extremā ruinam intulisset.
*Damnatur cultura Iouis*, ait Aegidius, *Iu-* Ægid. Monac. aureæ
*nonisq. & Veneris. Extruitur templum bea-* vallis.
*tæ Mariæ perpetuæ virginis, emundantur
delubra dæmonum: Ecclesiæ Sanctorum de-
didicantur vsque ad numerum septuaginta
duarum congregationum*. Habet igitur Bel-
gium, in quo non modicum potest gloria-
ri, & gloriando sibi gratulari, quòd nimirū
sub ipsis Ecclesiæ nascentis, incunabulis,
antequā pleræq. aliæ prouinciæ, vix quid-
quam de B. Virgine intellexerāt, primam
infra Alpes, siue Cisalpinam primam Ma-
riano titulo insignitam Ecclesiam habere
meruerit. Auctorem, qui id ipsum do-
ceat, proferam Thomam Bozium, Roma- Th. Bozius
næ Congregationis Oratorij à S. Philippo
Nerio institutæ, presbyterum, qui lib. 9. de
signis Ecclesiæ cap. 9. ita ad rem nostram

 scri-

ſcribit: *Sed apud Tungros, volunt priſci annales, à Materno Petri diſcipulo Eccleſiam de nomine Virginis cōditam, quam primam dicunt infra Alpes Eccleſiam fuiſſe.* Quibus verbis hæc ſua ſubijcit Locrius: *Quid audio? non B. Virginis modò, ſed abſolutè primam: Ergo nulla alia quolibet titulo extabat, quando iſta primò comparuit: ijs porrò apicibus, vt facta cathedralis, Virginis titulum circumferret. Vt vt ſit, magna ſanè Belgarum commendatio eſt, primas Ciſalpes Mariano nomini meruiſſe conſecratam habere Eccleſiam.* Quod id ipſum confirmāt, præter citatos à Bozio, annales Eccleſiæ, tum Colonienſis, tum Treuerenſis, Ioannes Carthagena lib. 18. homil. 7. & Petrus Caniſius lib. 5. cap. 23. dum ait: *Sanctus Maternus etiā apud Tungros Deiparæ virginis ædem, eamq. infra Alpes, vt volunt, primam conſecrauit: ſic enim veteres Eccleſiarum narrant annales.*

Locrius in mar. Aug.

Petr. Caniſ lib. 5. de Deipara.

Neque ea tantùm in hoc tractu, à Belgis tunc per S. Maternum Mariano nomini ædificata & conſecrata fuit Eccleſia, ſed & in oppido Huienſi, ad Moſæ & Huy cōfluentem, medio fere itinere inter Leodium & Namurcum, aliam in eiuſdem honorem conſtruxit; de qua ita Aegidius

mo-

monacus Aureæ Vallis: *Sed & per suos Episcopatus plurimas fundauit Ecclesias, inter quas eminet Ecclesia B. Mariæ Hoyensis, vt testatur Theoduinus Lodiensis episcopus, qui in ea requiescit. Verba Theoduini ita habēt: Ego Theoduinus Dei gratia Leodiensis episcopus, notū esse volo, tam presentibus, quam futuris, qualiter post libertatem Hoyensis Ecclesiæ, quam Maternus, beatæ memoriæ episcopus consecrando primitiauit*, &c. Sunt ea desumpta ex diplomate, quo idem in prædicta Ecclesia quindecim Canonicos instituit, anno 1066. quando & eamdem Basilicam Marianam à fundamentis vsque ad laquearia à se reædificatā & perfectam, præsente Lietberto Cameracēsi episcopo, consecrauit. Ægid. monacus. Theoduin. Leodiensis.

Dionanti insuper, in eadem ditione, haud procul ab Huio, & ad Mosam quoque vetusta planè inuenitur Mariana Basilica, quam itidem a B. Materno consecrata, suspicio est; sed suspicio tantùm, nam hactenus certum testimonium non inuenitur. Sed habemus firmiorem historicū sermonem de alia Mariana Basilica, quam idem pontifex S. Maternus in Belgio Deiparæ dedicauit. Est illa Vualueriæ, de qua Auctarium ad Ioannis Molani natales

Sanctorum Belgij, auctore Arnoldo Rayssio, Canonico S. Petri Duaci. Ille igitur ad diem 28. Maij ex antiquis m. s. quæ cum instructione eidem communicauit Ioãnes à Chokier Ecclesiæ Vvaluerienſis præpositus, hæc ſubſequentia cõmemorat : *Vvalcuriæ, commemoratio Deiparæ virginis miraculoſæ, quæ cum proceſſione ſolẽni, feſtiuè celebratur* : Subiungit deinde, *Eſt autem Vvalcuria; ſiue Valencurtium, vrbs perantiqua ad ſeptimum a Namurco lapidem, ſita adripam Auriæ riuuli, inter Moſam & Sabin, cuius prima Baſilica à beato Materno S. Petri diſcipulo duxit initium, qui ad fidem conuerſo Arbo horum locorum tyranno, Eccleſiam B. Mariæ dedicauit, in eaq. ſacram Virginis ſtatuam, ſuis, vt creditur, manibus, delineatam collocauit, miraculis, varijsq. prodigijs & curationibus famoſiſſimam, & peregrinorũ concurſu, ab olim etiam frequẽtiſſimam: ex quo potiſſimùm diuinitùs manifeſtari placuit, locum hũc ſingulariter pro Deiparæ cultu & patrocinio electum. Cùm enim miraculorum gloria iam longè lateq. celebraretur, euènit fortuitò, igne templum abſumi. Iconem autem dictam, præeunte columba, cunctis qui aderant planè videntibus, Angelorum in ſublime tranſportari mini-*

Arnoldus Rayſſ. in ſuo Actuar

ni-

*nisterio, proculq. in suburbano quodam horto ab iisdem sisti. Vnde cùm nulla arte deferri posset, Theodoricus, loci Regulus, voto concepto, monasterium se in loco hortuli extructurum, diuina permissione Imaginem Vvalcuriam retulit, ad cuius aduentum, tanta breui confluxit hominum frequentia, & peregrinorum liberalitas, vt templum nulli totius Namurcesij facilè cessurum, sit extructum. In quo etiam vltra Collegium nouem Canonicorum, cum Præposito sub annum Domini* 1020. *ab Eduino loci Dynasta fundatũ, viginti Sacellani, aut ampliùs à diuersis nobilibus sunt instituti. In quorum beneficiorum gratam memoriam, adhuc quotãnis, ipsa feria quarta quatuor temporum Pentecostes, dicta Imago maximo peregrinorum concursu honoratur, communique Vrbis lætitia, ac solemni omnium processione defertur.* Hactenus Actuarium præcitatum.

Constans, & firma traditio est, Ecclesiã Marianam in Gallobrabantia supra Geldoniam, Namurcum versùs sitam, vulgò *Nostre Dame d'Autre Eglise*, quasi dixeris, *Diua Virgo alterius Ecclesiæ*, quod cognomen etiam pago in quo sita est, adhæsit, vernaculè, *Autre Eglisse*, à D. Materno Tũgrensi Episcopo, & Belgarum primo Aposto-

Vid. Aug. Vvich. loc. cit. lib. 2. cit.

stolo-

ſtolo, in honorem ſãctiſſimæ Deiparæ fuiſſe conſecratam; prout etiam antiquæ eius Eccleſiæ, tabulæ, atque inſcriptiones clarè ſignificant: inter cætera, bina hæc diſticha leguntur.

*Creditur hoc templũ materni tẽpore ſtructũ*
*Non magis antiquum Belgica terra tenet.*
*Hic locus eſt (ſic nos docuit nõ falſa vetuſtas)*
*In quo post Tungros altera ſacra viget*

Itaque quòd præter illam Marianã Tungrenſem, nulla alia in ijs partibus eſſet Eccleſia, dicta fuit hæc, altera, ſiue ſecunda Eccleſia. Quibus confirmandis ipſa ſtructura ſuffragatur, quæ ſummam præſefert vetuſtatem, & longeuæ ætatis non obſcura veſtigia.

De ſãncto autem Martiano quid loquar? Huius ſingularem, erga ſacratiſſimam Dei parentem deuotionem R.P. Octauius Caietanus, Societatis Iesv fauſta proles, vir omni heroicarum virtutum genere conſpicuus, in libro, quem: Origenes Illuſtrium ædium ſanctiſſimæ matris, & Virginis Mariæ in Inſula Siciliæ prænotauit, ex Græcis actis ipſius sãcti Martiani proſequutus eſt his verbis: *Quo tempore S. Petrus Apoſtolus Antiochiæ verſabatur, cùm vbique terrarum, ac præcipuè apud Græcos populos*

Oct. Caiet. in orig. illuſtr. Aed. B.V in inſola Siciliæ

quàm

quàm celeberrimæ Syracusæ esset, satis agnosceret, multo maximo eas ornamento, ac longè præstantissima sanctæ fidei gloria cohonestare decreuit. Itaque anno 40. Martianum eò misit episcopum, qui non minorem inter Apostoli discipulos, ob doctrinæ ac sanctitatis specimen, tenebat locum. Hic, quippe qui summa erat erga Virginē pietate præditus, illius imaginem secum tulit, cuius specie & pulchritudine, cùm diuinum in se amorem fouebat, tum etiam populorum animos illustrabat, & ad Christum alliciebat. Illa tāquam cœlesti fulmine idolorum statuas abijcere; illa velut firmissimo clypeo abs Stigijs monstris sese defendere; illa tamquam ancipiti gladio ex energumenis horrendas laruas depellere, illa tanquàm cœlesti medicina, cæcis visum, loquelam mutis, auditum surdis, claudis, & paralyticis integras vires impertiri, leprosos mundare, ægros morbis liberare consueuerat; adeò vt iure optimo hæc imago, ingens miraculum, seu miraculorum mirificum instrumentum appellari possit. Eā collocauit in antris, Pelopia quondam nuncupatis: nunc verò ab æde superextructa Diui Ioannis Apostoli dictis, ad inferiorem partem Acradinæ: nec enim sinebat Tyrannorum sæuities, templa ædificari, perinde vt fideliū Syra-

*Siracusanorum animi peroptabant. Eodem in loco D. Marcianus morabatur, ibi docebat, ibi baptisteriũ habebat, & sacris operabatur, veluti sub tutela & patrocinio sanctæ Dei Genitricis.* Sic ille.

Sanctus verò Euodius, non solum Petri discipulus, sed ipsius, in Antiochena Cathedra successor, vir ob assiduam rerum diuinarum contemplationem, Diuinus appellatus, nonne ob Deiparæ amorem, perpetuam virginitatem coluit: vnde Virgo Beatissimus ab omnibus acclamatur? Nonne in sylua, seu solitudine montis Heroi, seu in Montanis nigris, nõ longè ab Antiochena ciuitate, monasterium Deiparæ Virgini dicatum à fundamentis erexit, atque Carmelitis, eximijs eiusdem Deiparæ cultoribus, libentissimè donauit? Quandam epistolam scripsit, cui titulus: Lumen: ex qua Nicephorus lib. 2. Histor. cap. 3. huiusmodi recitat fragmentum. *Trimula cùm esset* (loquitur Euodius de Beata Virgine) *in templum præsentata, ibi in sanctis sanctorum traduxit annos vndecim. deinde verò Sacerdotum manibus Ioseph ad custodiam est tradita, apud quem cùm menses peregisset quatuor, ab Angelo lætum illud accepit nuncium: peperit autem illius mundi lumen, annum*

Vide Saracen. ic Menol. Carm.

Niceph. l. 2 cap. 3.

*num agens 15. die vigesima quinta mensis Decembris. Deinceps annos peregit triginta tres, quos etiam, æternum, & ante sæculare verbum, & filius eius, in terris exegit. Post crucis autem supplicium illud, in domo Ioannis annos impleuit vndecim*, &c. In eadem epistola dicebat Euodius: *A Christo ex mulieribus solam Virginem matrem suam fuisse baptizatam.*

De sanctis Sauiniano & Potẽtiano hæc nobis suggerit Martyrologium Gallicanũ sub die 31. Decembris: *Sanctus Sauinianus B. Petri apostoli discipulus, ab eodem S. Petro vnà cum S. Potentiano ad prædicandum Iesu Christi Euangelium in Galliam missus, dum ad Metropolim vrbium, ciuitatem Sennonẽsem contendere constituunt, Vastiniensem agrum ingressi, paulisper subsistũt, eo in loco, qui Ferrariæ celebris cœnobij nomine postea inclaruit: dies enim natalis Domini imminebat. Cui debito cultu transigendo, dum intẽdunt vigilijs, ieiunijs & orationibus defixi, ipsa nocte, qua ortum solis iustitiæ in sanctis medieationibus præstolabantur, repẽtino affulgente in tenebris lumine, ipsa hora, qua Christus natus est, idem Dominus in præsepio positus, circumstante matre sanctissima & B. Ioseph apparuit ea prorsus for-* Martyrol. Gallic sub die 31. Dec

*ma*

*ma, & situ, ac statu, quo, cùm natus in Bethleem existebat. Angelica item melodia personuit, easdem laudes, quas tunc occinebant, superni illi spiritus, replicans. Quo cœlesti viso, & auditu ipsi animati, magni illius pietatis sacramenti nuncij, à tam fausto auspicio diuinum opus aggressi sunt; totoq. ore & pectore effusi in præconia Deitatis, incolasque, accolasque ad agnitionem diuinæ maiestatis, & misericordiæ vocauerunt, & induxerunt. Primæ cœlestium negotiatorum stationis fortunatus hic successus fuit, in cuius perpetuum monimentum, ædiculam in honorem sancti Saluatoris nati, & beatissimæ Genitricis eius, ibìdem extruxerūt, cui Bethleē nomen suauissimum & augustissimum, quò hactenùs nobilis illic, quæ succreuit moles, inscripta nitet, indidere. Hinc digressi, ad ciuitatem Sennonēsem, magni cum fausti progressus fiducia accedunt, ibiq. animabus propè infinitis, ad Christi fidem & cultum conuersis, Ecclesiā S. Dei genitricis venerado nomini, ac patrocinio dedicatam extruxerunt. Hinc Carnotum aduolantes dinini splendoris geruli, cùm lustrarent totius ciuitatis aras, vt in sua Parthenica scribit Rouillardus, inuenerunt aram, in qua scriptum erat, VIRGINI PARITVRAE. Vnde notādum,*

Rouillard' in sua Part seu histor. ecclesiast. Carnot. ca. 4. apud Gonon. in Cronic. Deipar ad annum Christi 45.

*quòd*

quòd Druides in Gallia apud Carnotũ, & vicinas ciuitates, erant homines peritissimi, & insignes qui centum & eò amplius annos ante B. Virginis natiuitatẽ, ei consecrarũt imaginem & aram, quæ adhuc hodie extant, titulũ ponẽtes, VIRGINI PARITVRAE. Mirum est, quòd etiã diu ante Deiparæ Virginis natiuitatẽ ad ipsius imaginẽ, miracula multa fierẽt: nam & filius Reguli Mõtleheriaci in aquis prefocatus, oblationibus, & precibus ante ipsam imaginem rediјt ad vitam. Liberalitate Reguli Montleheriaci ad illum locum, animatus Priscus Carnotensiũ, & Druidensium Rex, carens liberis, totius Regni & dominationis suæ, Virginem parituram fecit hæredem. Ex quo tempore ille Principatus deuolutus est ad alios sapientes Druidas. Cùm autem prædicti sancti, Sauinianus, & Potentianus venissent Carnotum, prædicarentq. Christum filium Dei esse natum ex Maria Virgine, quam illi ignorantes colebãt: insuperque adderent, visitatam fuisse à Regibus orientis, & muneribus affectam; magno gaudio affecti, sine magno labore omnes ad Christi fidem conuersi sunt; Et ne quis eos antecelleret, in tantæ Dominæ veneratione, ipsi solemnes Legatos ad B. Deiparam Virginem miserunt, quæ tunc morabatur Hiero-
solу-

*Solymis, cui cùm narrarunt, qualitèr dudùm antequàm nasceretur, Conciues, ei imaginē & aram erexerant, & Priscus eam hæredē patriæ constituisset, eam supplicitèr rogauerunt, Druidarum & totius populi nomine, quatenùs principatum, & hæreditatem, licet tantæ maiestati indignam, dignaretur acceptare. Virgo autem gloriosa Legatos sereno vultu accipiens, eis gratias egit, & lubenti animo donum acceptauit, promisitque, totius patriæ, & ciuium perpetuam fore protectricem. His lætis nuncijs acceptis, Legati redeuntes ad propria, ciuibus narrauerunt omnia; qui ineffabili gaudio repleti multò ampliùs in B. Virginis amore & obsequio profecerunt.*

Od. Giss. in histor. B. V Aniciensis.

Veniamus ad sanctum Georgium, de quo sic auctor Chronici sanctissimæ Deiparæ ad annum Christi 60. ex Odone Gisseo, in historia Beatæ Virginis Aniciensis. *Sanctus Petrus Apostolus*, inquit, *anno Domini 46. multos ex discipulis suis misit in Gallias, ad prædicandum Christi Euangelium. Inter cæteros autem S. Georgium misit Anicium. Hic autem Georgius, primus Aniciensis in Velauia Episcopus magno cum labore, ciuitatis prædictæ populum ad Christi fidem conuertit. Cùm autem bea-*

tissi-

*tissimæ virginis Mariæ Dei genitricis præconia auditoribus suis sæpissimè referret, erga B. Virginem populi amor & deuotio paulatim crescere cœpit. Quare destructo per eũ Apollinis simulacro, quod in vertice rupis Poliniacæ adorabatur, Ecclesiam in honorem Deiparæ virginis construxit: tunc magis, ac magis cœpit populus affici ad B. Virginem. Inter cœteros autem, honesta quædam, & deuota matrona cuiusdam loci, cui nomen erat Villa, iuxta fluuium Bornæ, cùm quartana dudum laborasset, iamq. esset morti proxima, apparuit ei B. Virgo, dicens: Surge è lecto, charissima filia; in quo tot menses insomnes duxisti, & citius quàm poteris, te ad mõtem & rupem Anicij cõfer: ibi enim te ab omni infirmitate tua liberabo. Non aures surdas ægrota mulier ad hanc continuit vocem; nam summo mane deferri à suis domesticis curans ad assignatum locum, largum & quadratum lapidem ibi annotauit altaris instar, & in eo quiescens obdormiuit. Interim denuò inuisit eam Virgo, talibusq. verbis est eam affata, nimirùm: Iste est locus, inquit, quem tibi constitueram, in quo euigilans pristinæ sanitati restituèris, in signum tibi, & posteritati electionis istius loci à me factæ, vt ibi deinceps me in æuum*

 mor-

mortales colant, mihiq. in posterùm famulentur. Ad hæc verba ægra mulier sanata. & excitata, ad S. Georgium accurrit, eiq. omnia, quæ euenerant, enarrauit. Tunc beatus Georgius absque mora locum miraculosum visitat, hac Dei famula, aliјsq. ecclesiasticis comitatus. Qui cùm ad hunc montis verticem ascendißent, aduerterunt in extrema Corneliæ rupis parte locum, vbi hodie visitur Basilica Deiparæ, niue albicantem, licet vndecima Iulij dies eßet, feruentibus tunc caniculæ æstibus. Ad clariorem autem huius miraculi notitiam, cõcito gressu adcurrit ceruus; qui in niuem insiliens, dimetitus est longitudinem & latitudinem, spatiumq. ædificij, statimq. disparuit. Quòd prodigiosum factum, attenta mentis acie, S. Georgius considerans, iubet à ceruo factum circuitum sepe ex virgultis cingi, partìm nè pollueretur, partìm vt hoc onus, quod à se tunc minimè suscipi poterat, succeßoribus suis alia commodiori tempestate faciendum seruaretur. Interim prædicti miracul fama ad aures S. Martialis, eiusdem S. Petri discipuli, atque Aquitanorum apostoli, peruènit, qui ad prædictum Anicij montem venire non distulit, atque in eodem loco versùs miraculosam rupem, ad honorem Deiparæ, ere-

*erexit altare, atque ad perpetuam suæ peregrinationis memoriam, huic loco calceum Deiparæ donauit, qui adhuc hodie ibidem religiosè seruatur.*

Nihil de S. Frontone Petragoricensium apostolo dicam, qui beatissimæ virginis Mariæ templo, ab Agabo in Carmeli vertice fundato, extremam imposuit manum. qui ad Petragoricenses conciues Episcopus destinatus, monasterium, in honorem B. Virginis in suburbijs eiusdem ciuitatis primùm extruxit. Qui cũ à Quirino præfecto infideli acriter diuexaretur, erèmum petijt, vt, impedimentis sublatis, Deo, Deiparæq. virgini tutiùs inseruiret. Ex Menologio Carmelitarum.

Nihil de S. Trophimo Asiano, primo Arelatensis vrbis Antistite, qui Arelate in palatio amplo, quòd sibi locum aliquem diuino cultui destinãdum postulanti, eiusdem ciuitatis Præfectus, iam ad Christi fidem conuersus, vltrò concesserat, ædem in honorem sanctæ Dei genitricis, cuius eximius erat cultor, ædificauit. quiq. aliam iuxta paludes struxit ædiculam, quam eidem Christipheræ Virgini cõsecrauit, adiacente cœmeterio, fidelium sepulturæ dedicato. Ex Martyrolog. Gallicano die 24. Decẽb.

Nihil de S. Prosdocimo Paduanæ ciui-

tatis Proepiscopo, qui Oratorium in eadem ciuitate ab Epiro Paduano excitatum in honorem beatissimæ Mariæ semper virginis consecrauit.

Ex Syluan. Razzio de mulier. sanctitate Illustrib. to. 6. sub die 7 Nouēbris.

Nihil denique de S. Paulino Antiocheno, primo Lucensium Præsule, qui templum Lucæ in honorem sanctæ Dei genitricis erexit, suæ erga tantam Virginem in corde conceptæ deuotionis monumentum. sed à discipulis ad magistrum reuertens, ipsum vt in vita, ita etiam post mortem ardentissimum Deiparæ virginis cultorem, ac eius gloriæ promouendæ cupidissimum contemplabor. Quis enim, nisi ipse, Carthusianis Patribus, variè à dæmone, circa nouum vitæ propositum diuexatis, horarias B. Virginis preces, tamquam malorum remedium efficax proposuit? Cùm enim primi illi Patres Carthusiani, quorumdam malignorum hominum linguis fraudulentis deterriti, qui nouitatis eos insimulantes, aiebant, illos in mortis discrimen sese conijcere: effectum sanè est ab illis, vt optimi Patres prorsus dubitarent, quidnam agendum ipsis esset, cùm propter susceptæ vitæ austeritatem, tum propter deserti horrorem & vastitatem, in qua illorum nequam hominum moti ser-

Ex Cæsare Fráciotto in historia Lucana.

Vide Frāc. à Puteo in vita S. Brunonis apud Suriū die 6. Octobris

Cronicon Deipar. ad annū 1095.

Aug. Vvic. in Brabant. Mariana lib. 3 ca. 77.

mo-

monibus, in vitæ periculum ſe venturos etiam ipſi iam formidabant. Quare hac de re perplexi cùm eſſent, & num illud vitæ genus proſequi deberent, inter ſe deliberarent; adfuit mox Apoſtolorum princeps Petrus, qui blãdè eos cõſolatus, hæc verba protulit: Perplexi eſtis, vtrum hanc erèmũ incòlere, an deſerere debeatis: at ego vobis annuntio, Dei Genitricẽ perpetuò ſuo patrocinio in hoc deſerto vobis affuturã, ſi in eius honorẽ horarias preces quotidie legere velitis. His dictis, continuò ille diſparuit; & fratres incredibili affecti gaudio, illam ſacroſanctam Virginem patronam totius Carthuſiani inſtituti ſibi delegerunt; & mirificè confortati, in arrepto vitæ propoſito perſtiterunt; dictumq. horarum B. Virginis penſum ſe quotidie perſoluturos, vnanimiter concluſerunt.

Quoties autem ſuis deuotis ſalutem à Deo, Deipara mediãte, impetrauit. *Quidam Religioſus*, inquit Ioannes Herolt, *qui in monaſterio ſancti Petri malè vixerat, ſine confeſſione, & ſacra communione defunctus eſt, cuius anima à dæmonibus ducebatur ad infernalia clauſtra. Quod cernens S. Petrus (cuius erat monachus) ad Dominum Ieſum Chriſtum accedens, pro anima fratris*

Io. Herolt dictus diſcipulus in propt. exẽpl. de B. Virgine exẽpl. 58.

*deprecabatur. Cui Dominus: Ignoras, inquit, quòd Propheta, me inspirante, dixit: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Quomodo hic potest saluus fieri, cùm neque sine macula ingreßus est; nec, vt debuit, iustitiam operatus est? Hoc audiens S. Petrus, venit ad B. virginem Mariam, vt ipsa intercederet pro anima illa. Et cùm surrexisset sancta Dei genitrix ante filium suũ cum sanctis virginibus, dixit ei filius: Quid me poscis, dulcissima mater mea cum meis charissimis sororibus? Cui cùm S. Maria respondißet, quòd pro anima fratris defuncti rogaret, Christus ait illi: Quia tibi placet, indulgentiam consequatur: concedo propter preces tuas, vt anima fratris ad corpus reuertatur, vt acta de malis pœnitentia, demũ æterna requie perfruatur. Hoc cùm S. Maria virgo S. Petro innotuisset; confestim sanctus Petrus magna claue, quam tenebat, dæmones fugauit, & animam fratris de potestate eorum eripuit, & duobus Angelis commendauit, vt ipsam animam ad corpus reducerẽt. At ille frater de morte resurgens, quæ sibi cõtigerant, vel quæ viderat, enarrauit.*

S. Birgitta lib. 6 Reu. cap. 93.

Estaticè quondam rapta B. Brigitta, vt ipsa refert suarum Reuelationũ lib. 6. c. 93.

*Mu-*

Mulierem in fune ſedentem, cuius alterum pedem ſuſtentabat vir ſpecioſus; alium verò Virgo quædam pulchritudinis miræ, conſpexit: tunc verò beata Maria Angelorum regina ei apparẽs, dixit: Hæc Domina tibi nota, multis ſollicitudinibus inuoluta carnis & mundi, mirabiliter, ne caderet, ſeruata eſt: ipſa quoque multoties habuit voluntatem peccandi, ſed nec locum, nec tempus; & hoc fecit oratio Petri apoſtoli &, filij mei, quẽ iſta mulier dilexit: quandoq. habuit tempus & locum, ſed non voluntatem, & hoc fecit charitas mea, quæ ſum mater Dei, & ideo quia iam appropinquat tempus eius conſulit B. Petrus, vt aliquam auſteritatem aſſumat in habitu, deponendo veſtimenta meliora, quia ipſe ſummus Apoſtolus etiam nuditatẽ, & carcerem pertulit, & eſuriem, quamuis potens in cælis erat & in terris. Ego verò mater Dei, quæ nullam horam ſine tribulatione tranſiui in terris, conſulo, vt ipſa non erubeſcat eſſe humilis, & obedire amicis Dei. Poſthæc autem ſtatim apparuit B. Petrus Apoſtolus dicens Brigittæ: Tu noua ſponſa Domini, & Dei noſtri, vade, & quære ab illa muliere quam ego dilexi, & cuſtodiui, ſi fortè eſſe velit ex toto mea filia, & illa requiſita conſentiente, & dicente, volo

*toto corde: Respondit B. Petrus; Ego prouidebo ei sicut filiæ meæ Petronillæ, & recipiam eam in custodiam meam. Et statim Domina illa, his auditis, vitam suam mutauit, & non longè post, toto vitæ suæ tempore, infirmari cœpit, donec purgata, cum maxima deuotione tradidit spiritum.*

Lib. 1. Reu. cap. 17. Eadem Birgitta, cùm aliàs cœlestem reginam sibi apparentem conspexisset, de beatissimo Apostolorũ Principe sic loquẽtem percepit: *Petrus sic calidus & feruens erat ad proferendum verba Dei, quòd si potuisset mori pro vnoquoq; homine, libenter fecisset: attamen timidus erat, ne a conspectibus illorum, quos verbo consolationis & prædicationis fouebat, raperetur; quia salutem eorum plus desiderabat, quàm vitam propriam & honorem. Tempore placito Petrus venit Romam cum humilitate, & alios eleuauit in positiuum gradum, alios in comparatiuum, alios in superlatiuum. idest, quosdam fecit bonos. quosdam meliores, & alios optimos. Illi enim, qui fidem receperint veram, qui in coniugio, & alia dispositione laudabili steterunt, isti fuerunt in positiuo gradu; qui verò sua dimiserunt propter charitatem diuinam, qui alijs exempla bona viuendi ostenderunt verbis, exemplis & operi-*

*peribus; necnon & qui nihil Christo præposuerunt, isti fuerunt in comparatiuo gradu. Qui verò carnem suam dederunt pro amore Dei, isti fuerunt in gradu superlatiuo*. Sic Deipara.

Quæ & iterum dilectæ sibi famulæ se conspiciendam præbens, his eam verbis affata est: *Esto humilis, & ego ero tibi misericors, Petrus erit tibi mitis, & dicet: O filia, aperi os, & cibabo te cibo dulcedinis. Verumtamen, filia, istud potes etiam spiritualiter intelligere: nam in Petro notatur fides sanctæ Ecclesiæ; sicut enim Petrus stabilis permansit vsque in finem; sic & fides sanctæ Ecclesiæ sine fine stabilis permanebit. Ergo Petrus, idest, fides sancta dicit, Aperi os, & habebis cibum optimum; idest, Aperi intellectum animæ tuæ, & in sancta Ecclesia inuenies cibum dulcissimum, id est, ipsum Corpus dominicum in sacramento altaris, nouam quoque legem & veterem, explanationem Doctorum, patientiam Martyrum, humilitatem Confessorum, Virginum castimoniam, omniumq. virtutum fundamentum. Itaque, fidem sanctam quære in Ecclesia sancti Petri; quæsitamq. memoriter retine, & operibus consuma*. Hactenus cœlorum Regina, quæ & mortalibus se

Lib. 4. Reu. cap. 18.

Vi-

visendam præbens, haud semel Petrum suum, in comitatu assumpsit, vt Sanctorum gesta legentibus perspicuum fiet.

Vide, si libet, opus nostrum de Fundatoribus Marianis, in S. Ioanne Gualberto, & S. Francisca Romana. Neque hoc solùm, sed in sacris suis imaginibus eumdem Petrum socium habere voluit; vt in imagine S. Mariæ in Porticu de Vrbe Angelorum manibus è cœlo delata liquet, in qua sanctorum Principum Apostolorum capita hinc, & inde super columnarum capitellis, in angulis apparent: quæ quamuis ad ornatum posita videantur; non tamen sine mysterio posita videri debent, nimirùm, vt quanti hos Apostolos Dei mater faceret, orbi innotesceret, quos & in ipsis imaginibus secum vellet; & vt cunctis pateret, hos ipsos prædicatores & testes sui nominis extitisse, dum filij nomen gentibus reuelarent. Quemadmodum obseruat Iosephus Matraria noster, in historia, quã latinè de hac ipsa imagine elucubrauit, ac Ferdinãdo Austriaco, serenissimo Hispaniarũ Infanti, S. R. E. Cadinali, Tituli S. Mariæ in Porticu, dedicauit.

DE

# DE SINGVLARI S. PAVLI Apoſtoli in Mariam Deiparam Virginem pietate.

## *CAPVT III.*

SAnctus Paulus Apoſtolus, & Doctor Gentium, inflammato admodum ſtudio erga ſanctiſſimã Dei matrem rapiebatur: quidni verò raperetur, cùm ſuam ad Deum conuerſionem, eiuſdem ſãctiſſimæ matris precibus & meritis contigiſſe non ignoraret? Sic colligit Thomas Maſſutius lib. 2. vitæ ſancti Pauli cap. 2. in hæc verba ſcribens: *Illud multi teſtantur, qui loca Terræ ſanctæ circa Hieroſolymam deſcripſerunt; & confirmatur ab inde redeuntibus peregrinis, extare adhuc lapidem, non procul à porta Ephraim, quæ, porta ſancti Stephani poſtea eſt appellata, ſupra quem beatiſſima Virgo, & cum illa ſanctus euangeliſta Ioannes, tandiu pro Stephano deprecarentur, quandiu inter ictus lapidum, quos a longe proſpiciebant, immaculatum Deo ſpiritum, martyr Chriſti reddidiſſet. Quòd ſi Stephanus, in tali poſitus anguſtia, ita pro ſe*

Th. Maſſutius in vita S. Pauli lib. 2. cap. 2.

*se orauit, vt lapidantium minimè obliuisceretur: quo minùs pro illis oraret, quis poterit dubitare sic Deiparam & sanctum Ioannem euangelistam orasse pro S. Stephano, vt Saulum, aliosq. aduersarios Deo commendare, illisq. placare iram numinis prætermiserint? Quare si orationibus S. Stephani Paulum debere se agnoscit Ecclesia, & orationibus sanctissimæ Virginis dicere possumus, deberi quodammodo ipsum Stephanum: cur non dicamus & Paulum? Cùm enim Virgo beatissima sub cruce mater omnium electorum in persona sancti Ioannis à Christo fuerit constituta: quid mirùm, si inter summos dolores, quos propter necem sancti Stephani, & peccata lapidantium, tunc patiebatur, Paulum quasi Beniamin, hoc est, filium dexteræ Christi, oratione sua peperit, quem tamen ipsa Benoni, hoc est, filium doloris mei, potuerit appellare? nam & de tribu Beniamin, & Apostolorum minimum, & tamquam abortiuum se fuisse testatur Paulus, qualis fuit Beniamin inter duodecim Patriarchas.* Sic Massutius. Legendi sunt Ioannes Lorinus, & Cornelius à Lapide in cap. 7. Actuum apostolicorum, nec non Rutilius Benzonius episcopus Lauretanus, in expositione psalmi 86. quorum postremus

Rutil. Benzonius in psalmũ 86.

mus ait, traditionem esse, quòd Deipara non solùm rogauerit pro sancto Stephano, quandiu eius lapidatio durauit, sed etiam pro S. Paulo, tum Saulo, qui vestimenta lapidantium Stephanum custodiebat.

*Vt Virgo beatissima accepit, Paulum factum Christi discipulum, & vas electionis, ad eum misit Lucam,* inquit in sua Apocalypsi B. Amadæus: *Qui Paulus antequam in Arabiam iuisset, voluit Dei genitricem videre; quam cùm vidisset, & sapientissimè filij sui mysteria propalantem audiret, & veteris testamenti, omniumque dubiorum nodos dissoluere videret, prostratus in terra, Christũ Dominum, & matrem eius adorauit, dixitque: vsque nunc à die conuersionis meæ Christum filium Dei credidi, nunc verò ex diuinitate matris, Deitatem filij clarè cognoui. Benedictus sit Dominus meus Iesus Christus, qui me minas sibi spirãtem illuminauit, & ad se cor meum auersum attraxit. Benedicta sis & tu mater Domini Dei mei, & Regis omnium, quia in te omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Domini Dei mei reconditos video. Instructus ergo ab ea de omnibus sciẽtijs, abijt in Arabiam, diuini amoris flamma totus ardens, & totus succensus incendebat omnes, & plures fructus ipse solus laboribus* Amadæus in sua Apocal. raptu 8

*suis*

suis Ecclesiæ attulit, quàm quicumque alius Apostolorũ, & hoc est, quod de se ait: plus omnibus laboraui, nõ quidẽ plus õnibus simul collectis, sed plus quocũq. aliorũ seorsũ sũp:o. Et dum cõuertisset Dionysiũ, Philosophũ egregiũ, & ei (bene credenti) ea secreta quæ audierat à Matre Christi Domini, reserasset; ille statim permotus desiderio eã videndi, licentia à Paulo obtenta, tandem ad ipsam peruènit, & illicò vt vidit faciem eius, immutatum, atque exaltatum est cor eius, & gaudio, atque exultatione plenus, in hæc verba prorupit: Verè Dei genitrix es, ò Maria, quia diuinitate plena es tota, si enim te videre, tantum bonũ est, tam iucunda res, quid erit videre ipsum Deum, bonum omnis boni? & prostratus in terra dixit: Deum trinum & vnum, quem Paulus me docuit, in te ò Virgo purissima, adoro, & te tanquam Dei genitricem colo. Tunc ait Maria. Antequam Paulus tibi prædicaret, vidi te, & audiui vocem tuam, quando dixisti, sole obtenebrato præter cursum naturæ: Aut totius naturæ conditor patitur, aut tota mundi machina destruitur: & altare à vobis Deo ignoto constructum vidi, neque tamen corpore præsens fui. Et loquuta est cum eo disertissimè lingua Græca, ita vt stupore, & admiratione nimia repleretur

*retur; & post longam Trinitatis sanctissimæ; & filij sui Incarnationis, & aliorum mysteriorum instructionem, remisit illum ad Paulum, perfectum in fide, perfectumq. non solum in humana sapientia, cuius partem etiã antè conuersionem habuerat, sed etiam in diuina.* Sic Amadeus.

Dionysius verò, antequam ad Paulum proficisceretur, sequentem ad eum scripsit epistolam, vt ex multis auctoribus, eã probantibus, commemorat Ferreolus Locrius lib. 5. Mariæ Augustæ cap. 6.

*Seruus, & nouissimus vinctus Dionysius, electissimo vasculo cœlico, Paulo Præceptori & Principi, salutem.*

D. Dionys. in epist. ad Paulũ præcept.

*Confiteor coram te, Princeps mi, ab hominibus non posse percipi, quam ego oculis, non tantùm mentis, sed corporis, vidi, perspexi, atque proprijs oculis intuitus sum, deiformẽ, atque supra omnes angelicos spiritus, sanctissimam matrem Iesu Christi Domini nostri, quam mihi benignitas Dei, & clementia Saluatoris, & gloria maiestatis, Deiformis Virginis matris eius, ostendere dignata est. Quoniam cùm à Ioanne, vertice Euangelij, & Prophetarum, qui in corpore habitans quasi sol fulget in cœlo, ductus fui ad*

dei-

*deprecabatur. Cui Dominus: Ignoras, inquit, quòd Propheta, me inspirante, dixit: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Quomodo hic potest saluus fieri, cùm neque sine macula ingressus est; nec, vt debuit, iustitiam operatus est? Hoc audiens S. Petrus, venit ad B. virginem Mariam, vt ipsa intercederet pro anima illa. Et cùm surrexisset sancta Dei genitrix ante filium suũ cum sanctis virginibus, dixit ei filius: Quid me poscis, dulcissima mater mea cum meis charissimis sororibus? Cui cùm S. Maria respondisset, quòd pro anima fratris defuncti rogaret, Christus ait illi: Quia tibi placet, indulgentiam consequatur: concedo propter preces tuas, vt anima fratris ad corpus reuertatur, vt acta de malis pœnitentia, demũ æterna requie perfruatur. Hoc cùm S. Maria virgo S. Petro innotuisset; confestim sanctus Petrus magna claue, quam tenebat, dæmones fugauit, & animam fratris de potestate eorum eripuit, & duobus Angelis commendauit, vt ipsam animam ad corpus reducerẽt. At ille frater de morte resurgens, quæ sibi cõtigerant, vel quæ viderat, enarrauit.*

S. Birgitta lib. 6 Reu. cap. 93.

Estaticè quondam rapta B. Brigitta, vt ipsa refert suarum Reuelationũ lib. 6. c. 93.

*Mu-*

*Mulierem in sune sedentem, cuius alterum pedem sustentabat vir speciosus; alium verò Virgo quædam pulchritudinis miræ, conspexit: tunc verò beata Maria Angelorum regina ei apparẽs, dixit: Hæc Domina tibi nota, multis sollicitudinibus inuoluta carnis & mundi, mirabiliter, ne caderet, seruata est: ipsa quoque multoties habuit voluntatem peccandi, sed nec locum, nec tempus; & hoc fecit oratio Petri apostoli &, filij mei, quẽ ista mulier dilexit: quandoq. habuit tempus & locum, sed non voluntatem, & hoc fecit charitas mea, quæ sum mater Dei, & ideo quia iam appropinquat tempus eius consulit B. Petrus, vt aliquam austeritatem assumat in habitu, deponendo vestimenta meliora, quia ipse summus Apostolus etiam nuditatẽ, & carcerem pertulit, & esuriem, quamuis potens in cælis erat & in terris. Ego verò mater Dei, quæ nullam horam sine tribulatione transiui in terris, consulo, vt ipsa non erubescat esse humilis, & obedire amicis Dei. Posthæc autem statim apparuit B. Petrus Apostolus dicens Brigittæ: Tu noua sponsa Domini, & Dei nostri, vade, & quære ab illa muliere quam ego dilexi, & custodiui, si fortè esse velit ex toto mea filia, & illa requisita consentiente, & dicente, volo*

*toto corde: Respondit B. Petrus; Ego prouidebo ei sicut filiæ meæ Petronillæ, & recipiam eam in custodiam meam. Et statim Domina illa, his auditis, vitam suam mutauit, & non longè post, toto vitæ suæ tempore, infirmari cœpit, donec purgata, cum maxima deuotione tradidit spiritum.*

Lib. 2. Reu. cap. 27. Eadem Birgitta, cùm aliàs cœlestem reginam sibi apparentem conspexisset, de beatissimo Apostolorũ Principe sic loquẽtem percepit: *Petrus sic calidus & feruens erat ad proferendum verba Dei, quòd si potuisset mori pro vnoquoq; homine, libenter fecisset: attamen timidus erat, ne a conspectibus illorum, quos verbo consolationis & prædicationis fouebat, raperetur; quia salutem eorum plus desiderabat, quàm vitam propriam & honorem. Tempore placito Petrus venit Romam cum humilitate, & alios eleuauit in positiuum gradum, alios in comparatiuum, alios in superlatiuum. idest, quosdam fecit bonos. quosdam meliores, & alios optimos. Illi enim, qui fidem receperint veram, qui in coniugio, & alia dispositione laudabili steterunt, isti fuerunt in positiuo gradu; qui verò sua dimiserunt propter charitatem diuinam, qui alijs exempla bona viuendi ostenderunt verbis, exemplis & operi-*

*peribus; necnon & qui nihil Christo præposuerunt, isti fuerunt in comparatiuo gradu. Qui verò carnem suam dederunt pro amore Dei, isti fuerunt in gradu superlatiuo*. Sic Deipara.

Quæ & iterum dilectæ sibi famulæ se conspiciendam præbens, his eam verbis affata est: *Esto humilis, & ego ero tibi misericors, Petrus erit tibi mitis, & dicet: O filia, aperi os, & cibabo te cibo dulcedinis. Verumtamen, filia, istud potes etiam spiritualiter intelligere: nam in Petro notatur fides sanctæ Ecclesiæ; sicut enim Petrus stabilis permansit vsque in finem; sic & fides sanctæ Ecclesiæ sine fine stabilis permanebit. Ergo Petrus, idest, fides sancta dicit, Aperi os, & habebis cibum optimum; idest, Aperi intellectum animæ tuæ, & in sancta Ecclesia inuenies cibum dulcissimum, id est, ipsum Corpus dominicum in sacramento altaris, nouam quoque legem & veterem, explanationem Doctorum, patientiam Martyrum, humilitatem Confessorum, Virginum castimoniam, omniumq. virtutum fundamentum. Itaque, fidem sanctam quære in Ecclesia sancti Petri; quæsitamq. memoriter retine, & operibus consuma*. Hactenus cœlorum Regina, quæ & mortalibus se

Lib. 4. Reu. cap. 18.

vi-

visendam præbens, haud semel Petrum suum, in comitatu assumpsit, vt Sanctorum gesta legentibus perspicuum fiet.

Vide, si libet, opus nostrum de Fundatoribus Marianis, in S. Ioanne Gualberto, & S. Francisca Romana. Neque hoc solùm, sed in sacris suis imaginibus eumdem Petrum socium habere voluit; vt in imagine S. Mariæ in Porticu de Vrbe Angelorum manibus è cœlo delata liquet, in qua sanctorum Principum Apostolorum capita hinc, & inde super columnarum capitellis, in angulis apparent: quæ quamuis ad ornatum posita videantur; non tamen sine mysterio posita videri debent, nimirùm, vt quanti hos Apostolos Dei mater faceret, orbi innotesceret, quos & in ipsis imaginibus secum vellet; & vt cunctis pateret, hos ipsos prædicatores & testes sui nominis extitisse, dum filij nomen gentibus reuelarent. Quemadmodum obseruat Iosephus Matraria noster, in historia, quã latinè de hac ipsa imagine elucubrauit, ac Ferdinãdo Austriaco, serenissimo Hispaniarũ Infanti, S. R. E. Cadinali, Tituli S. Mariæ in Porticu, dedicauit.

# DE SINGVLARI S. PAVLI Apoſtoli in Mariam Deiparam Virginem pietate.

## CAPVT III.

SAnctus Paulus Apoſtolus, & Doctor Gentium, inflammato admodum ſtudio erga ſanctiſſimã Dei matrem rapiebatur: quidni verò raperetur, cùm ſuam ad Deum conuerſionem, eiuſdem ſãctiſſimæ matris precibus & meritis contigiſſe non ignoraret? Sic colligit Thomas Maſſutius lib. 2. vitæ ſancti Pauli cap. 2. in hæc verba ſcribens: *Illud multi teſtantur, qui loca Terræ ſanctæ circa Hieroſolymam deſcripſerunt; & confirmatur ab inde redeuntibus peregrinis, extare adhuc lapidem, non procul à porta Ephraim, quæ, porta ſancti Stephani poſtea eſt appellata, ſupra quem beatiſſima Virgo, & cum illa ſanctus euangeliſta Ioannes, tandiu pro Stephano deprecarentur, quandiu inter ictus lapidum, quos a longe proſpiciebant, immaculatum Deo ſpiritum, martyr Chriſti reddidiſſet. Quòd ſi Stephanus, in tali poſitus anguſtia, ita pro ſe*

Th. Maſſutius in vita S. Pauli lib. 2. cap. 2.

*se orauit, vt lapidantium minimè obliuisceretur: quo minùs pro illis oraret, quis poterit dubitare sic Deiparam & sanctum Ioannem euangelistam orasse pro S. Stephano, vt Saulum, aliosq. aduersarios Deo commendare, illisq. placare iram numinis prætermiserint? Quare si orationibus S. Stephani Paulum debere se agnoscit Ecclesia, & orationibus sanctissimæ Virginis dicere possumus, deberi quodammodo ipsum Stephanum: cur non dicamus & Paulum? Cùm enim Virgo beatissima sub cruce mater omnium electorum in persona sancti Ioannis à Christo fuerit constituta: quid mirùm, si inter summos dolores, quos propter necem sancti Stephani, & peccata lapidantium, tunc patiebatur, Paulum quasi Beniamin, hoc est, filium dexteræ Christi, oratione sua peperit, quem tamen ipsa Benoni, hoc est, filium doloris mei, potuerit appellare? nam & de tribu Beniamin, & Apostolorum minimum, & tamquam abortiuum se fuisse testatur Paulus, qualis fuit Beniamin inter duodecim Patriarchas.* Sic Massutius. Legendi sunt Ioannes Lorinus, & Cornelius à Lapide in cap. 7. Actuum apostolicorum, nec non Rutilius Benzonius episcopus Lauretanus, in expositione psalmi 86. quorum postre-

Rutil. Benzonius in psalmũ 86.

mus

mus ait, traditionem esse, quòd Deipara non solùm rogauerit pro sancto Stephano, quandiu eius lapidatio durauit, sed etiam pro S. Paulo, tum Saulo, qui vestimenta lapidantium Stephanum custodiebat.

*Vt Virgo beatissima accepit, Paulum factum Christi discipulum, & vas electionis, ad eum misit Lucam*, inquit in sua Apocalypsi B. Amadæus: *Qui Paulus antequam in Arabiam iuisset, voluit Dei genitricem videre; quam cùm vidisset, & sapientissimè filij sui mysteria propalantem audiret, & veteris testamenti, omniumque dubiorum nodos dissoluere videret, prostratus in terra, Christũ Dominum, & matrem eius adorauit, dixitque: vsque nunc à die conuersionis meæ Christum filium Dei credidi, nunc verò ex diuinitate matris, Deitatem filij clarè cognoui. Benedictus sit Dominus meus Iesus Christus, qui me minas sibi spirãtem illuminauit, & ad se cor meum auersum attraxit. Benedicta es & tu mater Domini Dei mei, & Regis omnium, quia in te omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Domini Dei mei reconditos video. Instructus ergo ab ea de omnibus sciẽtijs, abijt in Arabiam, diuini amoris flamma totus ardens, & totus succensus incendebat omnes, & plures fructus ipse solus laboribus* Amadæus in sua Apocal. raptu 8

*suis*

suis Ecclesiæ attulit, quàm quicumque alius Apostolorũ, & hoc est, quod de se ait: plus omnibus laboraui, nõ quidẽ plus õnibus simul collectis, sed plus quocũq. aliorũ seorsũ sup:o. Et dum cõuertisset Dionysiũ, Philosophũ egregiũ, & ei (bene credenti) ea secreta quæ audierat à Matre Christi Domini, reserasset; ille statim permotus desiderio eã videndi, licentia à Paulo obtenta, tandem ad ipsam peruenit, & illicò vt vidit faciem eius, immutatum, atque exaltatum est cor eius, & gaudio, atque exultatione plenus, in hæc verba prorupit: Verè Dei genitrix es, ò Maria, quia diuinitate plena es tota, si enim te videre, tantum bonũ est, tam iucunda res, quid erit videre ipsum Deum, bonum omnis boni? & prostratus in terra dixit: Deum trinum & vnum, quem Paulus me docuit, in te ò Virgo purissima, adoro, & te tanquam Dei genitricem colo. Tunc ait Maria. Antequam Paulus tibi prædicaret, vidi te, & audiui vocem tuam, quando dixisti, sole obtenebrato præter cursum naturæ: Aut totius naturæ conditor patitur, aut tota mundi machina destruitur: & altare à vobis Deo ignoto constructum vidi, neque tamen corpore præsens fui. Et loquuta est cum eo disertissimè lingua Græca, ita vt stupore, & admiratione nimia repleretur

*retur; & post longam Trinitatis sanctissimæ; & filij sui Incarnationis, & aliorum mysteriorum instructionem, remisit illum ad Paulum, perfectum in fide, perfectumq. non solum in humana sapientia, cuius partem etiã antè conuersionem habuerat, sed etiam in diuina.* Sic Amadeus.

Dionysius verò, antequam ad Paulum proficisceretur, sequentem ad eum scripsit epistolam, vt ex multis auctoribus, eã probantibus, commemorat Ferreolus Locrius lib. 5. Mariæ Augustæ cap. 6.

*Seruus, & nouissimus vinctus Dionysius, electissimo vasculo cœlico, Paulo Præceptori & Principi, salutem.*

D. Dionys. in epist. ad Paulũ præcept.

*Confiteor coram te, Princeps mi, ab hominibus non posse percipi, quam ego oculis, non tantùm mentis, sed corporis, vidi, perspexi, atque proprijs oculis intuitus sum, deiformẽ, atque supra omnes angelicos spiritus, sanctissimam matrem Iesu Christi Domini nostri, quam mihi benignitas Dei, & clementia Saluatoris, & gloria maiestatis, Deiformis Virginis matris eius, ostendere dignata est. Quoniam cùm à Ioanne, vertice Euangelij, & Prophetarum, qui in corpore habitans quasi sol fulget in cœlo, ductus fui ad*

dei-

*deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me immensus diuinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius, tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec spiritus, posset totius, ac tantæ felicitatis insignia sustinere. defecit cor meum, defecit spiritus meus tantæ gloriæ maiestate oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua doctrina non me docuisset, hanc verum Deum esse credidissem; quoniam nulla videri posset maior gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc verò felicissimus, degustaui. Gratias ago summo, atque optimo Deo, diuinæq. Virgini, & eminentissimo apostolo Ioanni, & tibi Ecclesiæ vertici, atque Principi triumphanti, qui mihi talia clarissimè & clementissimè præstitistis. Vale.*

Et quidem Paulo Euangelij lumen in orbem inferenti, animosq hominum prædicãdo vehementiùs ad pietatem christianam inflammanti, inter cœtera prædicationis mysteria, materies non postrema fuit, cœleste illud prodigium, Virgo christiphera, mater Dei, cuius inter mortales adhuc degentis auctoritas, quemadmodũ non parum fidei, apostolicæ prædicationi fa-

faciebat, ita supra humanam augustioris vitæ sublimitas, quamplurimos e lõginquis etiam terrarum partibus, ad spectandum propiùs alliciebat.

Tradit vir pius ac doctus, Alphonsus Villegas tom. 2. cap. 20. ex Mutio Iustinopolitano, scriptore non indigno lib. 1. historiæ sacræ cap. 13. quòd Pauli apostoli Regij Calabrum prædicantis fama, exciti Messanenses, continuò miserunt, qui rogatum Euangelij gratia Messanam adducerent. Venit ille facilè exoratus, quippe cui nihil erat antiquiùs, quàm sedulò quærere, ne dum arripere libenter oblatam disseminandi verbi occasionem, atque inter alia de Incarnationis mysterio verba faciens, crebra Mariæ virginis Hierosolymis commorantis appellatione, eò procliues ad religionem permouit animos, vt ardenti studio prouinciam, tantæ Virginis adeundæ, lectis ex præcipuo gradu viris, demandarent; vrbisq. suæ, ac ciuium tutelam singulari Patronæ demissa imploratione commendarent. Annuit Virgo, animo statim ad Messanenses inflexa, exaratisq. sua manu lingua hebræa litteris, suam in eos propensionem ac voluntatem benignè testatam fecit. Hæc ferè Villegas, cui

Alphonsus Villegas.

G Con-

Constantinus Lascaris in prologo in epistola B. Mariæ virginis ad Messanenses, Martinus Nauarrus in suo lib. de oratione, & horis canonicis, cap. 21. num. 28. alijq. non infimæ notę scriptores se subscribunt.

Melch. Incof. in epist ad Messan.

*Decuit autem Messanenses*, subdit vir doctissimus, atque eruditus in paucis, Melchior Incofer in hoc argumenti genere feliciter versatus, *audita Principis Apostoli prædicatione, legationem decernere, non vtiquè ad Apostolos, verùm ad Apostolorum magistram ac directricem, idipsum, opinor, admonente Paulo, vel quòd pridem Apostoli secessissent in prouincias, vel quod prædicatum à se Christum Deum in dignitate tātæ Virginis adumbraret, quo velut ex aspectu matris didicissent; non solùm quam præsidem cœlestium gratiarum interris reliquisset, qui cœlis in assumpto corpore illatus, suæ carnis principium, suæ exemplar substātiæ, pignus dedisset: nisi etiam illud verissimè dixeris, etiam Paulum prædicantem crebrò Mariæ virginis nomen vsurpasse, quòd dictorum fidem non alio magis miraculo fieri posse testatā nosset, quàm si miraculorū maximū micantibus auribus intulisset, Virginē scilicet Christi, Dei hominis parentem adhuc inter mortales agentem, eamdemq. verita-*

*tis*

*tis euangelicæ sacrarium, præcipuum diuini Spiritus oraculum, ex quo ipsi etiam Apostoli de rebus fidei sciſſe consueuissent.* Sic Incofer, à quo & ferè omnia, quæ mox de hac eadem re subijciam, vt cuique sua constet laus, ingenuè me fateor accepisse.

Paulò aliter legimus in m. s. vetustate pænè corroso, quòd apud illustrem patritium D. Iacobum Leõtinum asseruabatur. *Cùm beatus*, inquit, *Paulus Apostolus esset in Calabria, Regij feruenter euangelizans, fuit à populo Messanensi mirabili deuotione vocatus. Vnde venit, & prædicauit prima die de Christi saluatoris passione; secunda verò de beatæ Mariæ virginitate, & incarnati Verbi mysterio. Quibus auditis, ipsa vniuersitas Messanæ, vbi hæc Deifera virgo resideret, instanter interrogauit. Cui beatus Paulus respondens, dixit, Hierosolymis morari, & adhuc viuere: repleti itaque gaudio magno Messanenses, instituerunt Legatos, qui vnà cum ipso Apostolo Hierosolymam tandem nauigio se contulerunt: vbi facta prius oratione, beatam Viginem in Dominam susceperunt, quæ sanctissimis manibus proprijs hebraicis litteris rescripsit in quodam chirographo.* Hæc in eo m. s.

Vetus codex m. s.

Sed Ioannes Baptista Bariolus, rector

Jo. Bapt. Barionus.

Ecclesię cuiusdam paręcialis dięcesis Nouariensis, in eo libro, quem deliciosum deuoti christiani hortum, an viridarium nuncupauit, copiosè sanè, si vllus alius, nec minùs piè rem totam historica narratione nuperrimè complexus est. Commorante nimirùm Dei matre Hierosolymis, in ea Ioannis domo, quam supremæ cœnæ mysterio Saluator consecrarat, plures ad eamdem visendam vndique, nec infimæ sortis hospites afflūebant, qui Apostolorum varia prædicatione permoti, cùm inter alia Dei saluatoris parentem adhuc in viuis in vrbe Hierosolymorum agētem intellexissent, etsi longè positi, desiderio tamen vidēdi principij vitæ æternę sanctè impulsi, relictis sedibus, eò concesserunt. Hos inter adfuit & magnus ille Dionysius Areopagita, florentissimarum Athenarum in Græcia ciuis, persuasus & ipse virtute Verbi, quando Athenæ Paulum, cœlesti prorsus eloquentia prædicantem, ac disputantem stupuerunt. Illis itaque temporibus, cùm diffluentes Apostolos orbis terrarum excepisset, Paulum quoque contigit in Calabros incidisse; vnde manāte in Siciliam, primùmq; Messanam eius prædicationis fama, misère continuò Messanenses, qui roga-

rogatum adducerent, paratos Euangelio ciuium animos perhiberent. Venit ille, procul mora; & inter alios sermones, cùm de Incarnatione filij Dei in Virginis vtero verba fecisset, præclaris non semel nominibus in admirādas Deiparæ laudes ita effusus est, vt eam mortalibus vnicam in regnum salutis viam esse affirmaret; & adhuc in humanis, cōsolationi discipulorum, quos filius post se reliquisset, superesse. Id cùm attentis animis accepissent Messanenses, vtiquè cœlestis spiritus impulsu, in eam sententiam iuerunt, vt ciuitatis suæ tutelarem, & in calamitatibus refugium adoptarent. Quam quidem gratiam quò faciliùs inirent, Apostoli rogati consilio, conciliatuq. adnauarunt. Itaque conuentu omnium, ac maximè primorum habito, lectis viris prouinciam demandauere. qui Hierosolymam profecti, magnæq. matri Virgini demissè supplices, vno ex legatis vota vniuersa ciuitatis, verbaq. præeunte, protectionis gratiam ardenti desiderio flagitabant. At enim illa, suscepta, audita q. legatione, incredibili primùm perfusa mētem voluptate, quòd Apostolorum prædicatio tam cumulatis Euāgelij successibus in orbe incederet, tum conuerso in super-

na vultu, quo sacratissimæ Triadi gratulanti pectore gratiam haberet : denique augusto affabilis ore, placidisq. ab ingenti humilitate verbis, Legatis elocuta, postulatis assensit, ciuitatisq. Messanensis protectionem libentissimè repromisit; neque solùm, sed quò memoria sacramenti religionis, & receptæ gratiæ existeret, exaratã sua manu hebraicè, remeãtibus epistolam dedit; quæ deinde in græcum conuersa; postea etiam latinis data, hodie multorum testimonijs sacro seruatur exẽplari. Hæc ferè iste vulgari sermone, vulgatam pænè secutus historiæ traditionem, nisi quòd Pauli dumtaxat consilio, non etiam ductu, Messanensium Legatos Virginem adijsse discreuit: id nempe illi faciliùs in sententia visum, quòd ad res, & tempora magis esset accommodatum.

Atqui vtinam fuisset eo tempore, qui manantem ex ore Pauli de Maria virgine orationem excepisset, dubio procul non minorem, quàm ex alijs eiusdem scriptis vtilitatem in Ecclesiam deriuassemus: sed non potuit flumen illud eloquentiæ calamo coarctari; & alioqui si omnes Pauli signatæ extarent cõciones, omnium aliorum scripta pænè vnum volumen essent, nec

præ-

præter Pauli dicta, plura voluendi, ac relegendi mundo otium esset. Hinc factũ, vt nisi quæ ipse, vel sua manu exarauit, vel cōscribenda alijs cōcredidit, imò dictauit, quamplurima industriam audientium effugerint; tametsi ipse non pauca traditione ad posteros; quod etiam cœteri Apostoli factitarunt, peruenire voluerit. Nonnulla etiam inter prædicandum aptè cadentia animis accipientium vltrò inhæserint; id quod notauit Baronius in appar. ad Annales ex Clemente Alexandrino lib. 5. stromatum; quæ tamen comparatione aliorum, adeo pauca sunt, vt vix à multis sciantur; nec mirùm sit præscribi non potuisse, quæ memoria teneri non potuerunt. Quis enim præscribat omnia dicta, factave illius, quando nec loca singula, quæ prædicando obiuit, Notarij sint assecuti, magni (vt cum Apollophane loquar) mundi circuitoris.

Card. Baf. in apparat. ad Annales Eccles.

Dionys. in epist. ad Apolloph.

At, dicet aliquis, Apostolum prædicationi in orbem destinatũ, Christum dumtaxat secum extulisse, eiusdemq. nomine mysteria fidei gētibus indidisse: beatæ verò virginis religionem saltem de publico more, extra institutum habuisse. Quis enim non maximoperè admiretur in Paulo

in ea ſcriptionis abũdantia, Chriſti ac Ieſu, ac Ieſu Chriſti nomen quadringenties & amplius vſurpare; neque tamen in appellationem Virginis vel verbo affluxiſſe, niſi quòd ſemel in epiſtola ad Galatas cap. 4. velut per tranſennam, vocabulo mulieris eam notaſſe, potius quam adnotaſſe putes: *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere.* Vt vel hinc pro inſtituto colligere liceat, alienum fuiſſe à more Pauli, nedum prædicando, de Virgine verba facere; ſed vel inſigniorem appellationem ſcribendo ei apponere, id quod obiter dumtaxat, quaſi aliud agenti inter labra excidiſſet. Quis ergo dixerit, diem apud Meſſanenſes de virginitate Mariæ, dicendo extraxiſſe? Verùm Paulus Chriſti Domini vſque ad ſtigmata ſectator, in eo quoque nuncupandi modo morem eiuſdem exprimere voluit, quando is non alio Virginem titulo, magis ſpecioſo, inſigniuit, quàm mulieris, interdũ vix matris. Demus autem Paulum de Virgine prædicare minimè conſueuiſſe, quòd in illis initijs pro Eccleſia fundãda magis è re eſſet, Crucifixi cauſam, & reſurgentis gloriam in orbẽ immittere, vnde ſalus humani generis vnicè penderet: rogatus tamen
is

is, ac vt de Maria quoquè instrueret, admonitus, facere minimè debuit, quin pro foro multisq. differeret, nisi Euangelium fidei in gentibus prædicator erubesceret, nisi Christum ex Virgine natum in corde suo sanctificare nollet, vtpote minime paratus ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipso erat, spe ac fide. 1. Petri c. 3

Iam verò vocabulum mulieris B. Virgini à Paulo probrò datum qui fingat, nè non solùm Angelo, qui Mariam benedictam inter mulieres adsalutauit; verùm etiam multoq. maxime Christo imponat, & cum Luthero, Oecolampadio, Melanchtone, alijsq. superioris præsertim sæculi hæreticis apprimè consentiat; ac proinde etiam quod Ioannes dixit: Verbum caro factum est, ad calumniam apponat. Cœterùm, aduertere debet eiusmodi, ex vsu scripturę commune id sexus esse vocabulum, neque minus ad Virginem, quàm ad nuptam, ac defloratam pertinere. Probat id Augustinus ex Moysis testimonio, & hebraicæ linguæ proprietate. Probat etiam Origenes ex vulgari vsu loquendi: *Si rectè*, inquit, *dicitur vir ille pro sola temporis ætate, qui nullius admixtionem feminæ nouerit; quomodo non eadem consequentia etiam Virgo, quæ*

Luth. in c. 4 epistolę ad Galatas.

Oecolamp in c. 2. Ioan

Melanc. in in annotat. circa euág. Ioá. cap. 2.

August. de fide centur Manich. c. 22. & de verbis Dñi sermone 63

Gen. cap. 3

Orig hom. 8. in Leuit.

*quæ intemerata permansit, pro sola ætatis maturitate mulier nominetur?* In quem etiam sensum illud Christi in nuptijs Canę ad matrem: Quid mihi, & tibi est mulier; ita accommodat Gaudentius, vt Mariam vocari velit, mulierem, *veritate sexus, non detrimẽto integritatis, quoniam diuino partu sic cœperit esse mater, vt virgo sacratior permaneret*. Quamquam fortasse dicere liceat, mulierem dictam, nè non verè mater quibusdam putaretur, cùm non defuturi erant, qui virginem non propriè peperisse dicturi essent, ipsamq. cum Manichæis phãtasma credituri, ; vel certè cum Valentinianis nihil ex ea corporis assumpsisse, sed cœlo delapsum, per eam velut laticem per fistulam transiuisse. Sed enim cùm bis dumtaxat in euangelio Maria virgo, Mulier à Christo dicatur; octies verò post partum, Mater Iesv, ab alijs appelletur, vt etiam Metaphrastes adnotauit, id singulari mysterio vacare credendum non est; & meo quidem sensu, si abundare licet, Mulierem primùm vocauit Christus matrem virginem, quãdo eius rogatu initium signorum fecit; iterumque, cùm pendens in cruce, miraculis finẽ facturus erat, vt ostenderet miraculorum maximum,

Gaudẽtius tract. 2. de lect. euang.

August. de hæres. cap. 51. & lib. 1. cõt. Iulian.

Bernardin. Luzẽburg in catalog. hæreticor.

Metaphrastes in orat de vita, & dormitione Deipar.

quod est salus humani generis, quam ipse in cruce peregit, ex ista muliere cœpisse, in eademq. fuisse consummatum, quando, sicut Germanus patriarcha perorat: *Nullus est qui saluus fiat, vel cui misereatur gratia, nisi per ipsam, quæ est redemptio captiuorum, & omnium salus, uniuersi terrarum orbis conciliatrix: per quam, cum qua, & in qua tantùm restauratio Angelorum, & redemptio hominum decernitur; vt sicut sine Deo nihil factum est, ita sine illa nihil sit refectum, vtpote quæ est vitæ suppeditatrix, vita viuentium, causa vitæ; denique (vt semel dicam) per quam omnia facta sunt; vnde, & mundi salus dicta est.* Quo proinde illa Christi diuinitatis plena responsio, an interrogatio: *Quid mihi & tibi est mulier*, haud forsitan peregrina explicatione hoc quodammodo sensu efferri qneat. Quid mihi & tibi in reparanda hominum salute non commune, o mulier? quasi admirantis; vel ad volũtatem tantæ matris sponte inclinantis, Dei hominis exprimat affectum: qui proinde facere iure non possit, quin ea petente, vel saltem indicante tardas horarum moras precoci obsequio flecteret ad vsũ miraculi: quidni enim in carne existens, matris cõniue-

ret

S.German. serm. de Zon. Virg.

S. Ephrem in orat. de Virgine.

Petr. Dam. sermon. de Annunciat.

And. Cret. serm. de Assumpt.

Riccardus Vict. capite 26. in Cant.

ret charitati, qui in cœlis regnans, ad vocem serui, diem extendit, solis cursu in medio cœli refrænato? Iterum verò iam peracturus in cruce operum extremum, quid aliud voluit suprema illa, velut contestantis voce: *Mulier, ecce filius tuus*, quàm vt in figura eius, quem diligebat, vniuersum genus matri in terris, ipso in cœlis acturo, commendaretur? Vt proinde quàm rectissimè sentire videãtur, qui præcipuum Marianæ laudis, & priuilegij esse volunt, numquam à filio, nisi vocabulo mulieris, appellatum; idq. præstãtiùs longè esse putẽt, quàm si titulo Virginis (quippe quod apud Iudæos eo tempore non expediebat) fuisset insignita. Quemadmodum enim Christus inter viros primatum tenet, ac viri nomen maximè promeretur: sic Maria inter mulieres omnes principatum vendicans, Mulieris nomine nuncupatur: quippe quæ sit perrara illa, immo & vnica mulierum, quam Salomon ardẽti in spiritu desiderio inquirebat, cùm dixit: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus*; hoc est, ab abysso sapientiæ diuinæ *præcium eius*. Fortem, scilicet, quæ quemadmodum secũdus Adam primo; ita mulieri primæ à qua peccati

Io. cap. 19.

Canis. lib. 4. de Deip. capite 26.

Prou. ca. 3.

cati omnis initium, & quasi scaturigo malorum defluxit, opponeretur: neque solùm, sed quæ, contrito capite serpentis, certum antidotum ægris, adeoq. perditis mortalibus esset, eademq. foret gratiæ, & æternæ salutis principium. Ex qua proinde muliere, Paulus, summi post Deum honoris causa, dixit factum esse Deum, factumq. sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret: cui denique, cùm, vt dicebam, octies in euangelio, matris nomen imponatur, data est omnis virtutum plenitudo, per quam in octo beatitudinibus non solùm simillima filio esset, verùm etiam quæ post filium curã humani generis habitura, homines per eosdem gradus ad Iesum perduceret. Itaque Paulus solo vocabulo mulieris, ex qua factum esse Deum pronunciauit, uniuersa dispensatæ salutis mysteria, si plus quàm acroamaticè conclusit, vniuersis tamen, vnde latiùs effluentem in sæcula Deiparæ prædicationẽ haurirent, velut digito fontem intendit, maximas ipse virtutes aliquãdo prolixiùs explicãdas artificiosè designauit. Quid dicã? in edifferẽda magna Dei matre, quòd hoc potissimùm ad euangelium refert, vel neruos omnes prædicationis attemperauit. S. Germ. de Zona Virg

Sa-

Sacram autem epistolam, quam Deipara, manu sua hebraico stylo, ad Messanenses scripsit, quemadmodum supra commemorauimus, à Paulo apostolo primùm græcè conuersam referunt. inter complures, Mutius Iustinopolitanus lib. 1. historiæ sacræ cap. 13. & Christophorns de Castro in historia Deiparæ cap. 33. necnon pleraque m. s. quæ ad manus iam supra relati, ac laudati Melchioris Incofer Austriaci peruenerunt. cuius porrò epistolæ exemplum à Constãtino Lascari Constantinopolitano latinitate donatum, hìc ad verbum inserere libet.

*Maria virgo, Ioachim filia, humillima Dei ancilla, Christi Iesu crucifixi mater, ex tribu Iuda, stirpe Dauid, Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem.*

*Vos omnes fide magna legatos ac nuncios, per publicum documentum ad nos misisse constat. Filium nostrum Dei genitum, Deum & hominem esse fatemini, & in cælum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli apostoli electi prædicatione mediante, viam veritatis agnoscentes; ob quod, vos, & ipsam Ciuitatem benedici-*

*dicimus, cuius perpetuam protectionem nos eſſe volumus. Ex Hieroſolymis, &c. Maria virgo, quæ ſupra.*

Et fuit ſanè conſentaneum, qui dux & auctor fuerat inſtitutæ legationis, eumdem eſſe virgineæ mentis interpretem, quo hoc ſacro ſcriptorum ſuorum velut compendio, officium poneret apud Meſſanenſes, qui multis epiſtolis vniuerſi orbis eccleſias inſtruxerat.

Neque huic, de ſe ipſa loquenti, traditioni, vt aliquibus viſum eſt, ſilentium officit Lucæ: quamplurima enim, quibus etiam præſens adfuit, omiſit Lucas, nec opus fuit ipſum omnia Pauli geſta hiſtoriæ ſuæ committere, ac memoriæ ſiſtere poſterorum: potuitq. Paulus & Meſſanæ adeſſe, & Meſſanenſibus Chriſtum cum Maria virgine annunciaſſe, & Legatos Meſſanenſium deducere, & deductos, ſi opus fuerit, reducere; & plura alia, ſiue vno, ſiue alio tempore apud eoſdem actitare; etiamſi hæc omnia non ſcripſerit Lucas; *Quia*, vt Suarij viri per ſæcula doctiſſimi, verbis in ſimili vtar, *id neque cum hiſtoria canonica, neque cum alijs dogmatibus receptis pugnat.* Tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 5. n. 13.

Ne verò epiſtolam ad Meſſanenſes datam,

tam, atque à Paulo, vt dicitur, græcè conuersam, ab humilitate, modestia, ac moribus Virginis alienam; atque adeo ab aliquo confictam existimes, dicasq. cum Anonymo. Quorsum illa à Virgine vsurpata, ex tribu Iuda, stirpe Dauid? quonam pertinet commemoratio tribus, & generis? quò regiæ stirpis? inania hæc, & regibus solita, Dei mater transmisisset. Quid illa: filium nostrum, Dei genitum, Deum & hominem fatemini? Facessāt hęc à modestia sanctæ matris: procul eius sanctitate & modestia prædicare se virginem, appellare se matrem Dei, quæ ancillam Domini se dixerat, quæ Dei mater appellata, ac laudata a cognata Elisabeth, ad Deum, Deiq. laudes animum vertit. Haud ignorandum tibi est, mi lector, non modo decens fuisse, verùm etiam admodum necessarium ijs nominis, generis, ac dignitatis titulis datam formare epistolam, in quibus & cum summa demissione admirabilis èlucet excellentia Deiparæ, & in sincera veritatis velut explicatione solidiùs existeret susceptæ religionis firmamētum. Neque enim aliud putandum est, esse eam Virginis cum inscriptione titulorum adsalutationem, quam ingeniosum quod-

dam

dam prędicationis Paulinæ compendium, cui verisimile est in ea concione, quam de Virgine apud Messanenses habuit, vt in superioribus retulimus, nihil fuisse antiquius, quàm non solùm de Mariæ prosapia, parentibus, ortu, vitæ progressu, virginitate; sed etiam de electione in matrem Dei, tantaq. supra mortalium honores dignitate, & id genus alijs perorare: quibus etiam illa Messanensium ex re ipsa nascens eliceretur interrogatio, Vbi nam gentium virgo illa Dei mater degèret, filia nempe Ioachim ex tribu Iuda, de stirpe Dauid, ancilla Dei, mater Crucifixi? necnon multò appositissima Virginis in epistola responsio, qua se illam, quam Paulus prædicauerat, non negaret, sed nec supercilioso quodam, vt videri poterat, fastu affirmaret; verùm in illa subscriptione, velut in imagiue quadam ipsa tacente petentibus exhiberet. Huc accedit illa etiã pernecessaria talis salutationis ratio, quòd cùm de Virgine variæ ferendæ erant sententiæ; quæ plurimos in errorem abducere poterant, optimè consultum videbatur, ea Virginis explicatione, non tantùm aliorum scriptis, ac sermonibus; verum etiam eiusdem mente, ac manu edenda, illis cum

maximè temporibus, quibus fama virginei vultus, habitus, morumq. nuncia maiestatem humana maiorem conciliabat, nè quemadmodum Dionysio, ita Messanensium Legatis, diuinitatis opinionẽ de Virgine cõceptam ingereret. Virginem se nominauit, ad continendam eorum procaciam, qui aliquando puritatem eius temeratam fuisse impiè dicturi erant; & præterea filiam Ioachim, atque adeo ex humano semine progenitam manifestauit, quo omnem à se diuinitatis opinionem, ab alijs verò periculum errandi longè dimoueret. Et ne supra homines ad generandum in carne Deum eleuata, si se matrem IESV diceret, tanta excellentia sibi lenocinari putaretur, oportuit etiam inusitatæ gratiæ consciam prius humilitatis meminisse, adeoq. humillimam Dei ancillam familiari cordis, orisq. vocabulo sese confiteri: neque solùm, sed cùm dictura Matrem se esset, per omnia decuit Christi crucifixi recordari, non eo dumtaxat, vt inuisum illo tempore abiectumq. nomen constantissima assertione, nec minus eximio humilitatis, quàm fortitudinis exemplo tueretur; verum etiam vt quem resurgentem pridem iam in cœlis regnare Messanenses

cre-

credidiſſent, pro ſe in cruce mortuum, velut expreſſa quadam ſpecie, in oculis, animisq. fixum ferrent. Denique, vt quæ iam ab euangeliſtis, Matthæo præſertim, & Luca, de Virginis origine diuulgata erant, ab eiuſdem quoque cōfeſſione vim haberent, cōueniens planè fuit, ex tribu Iuda, & ſtirpe Dauid, natalis ſuæ ſeriem deductā enarrare, vel eo maximè quod iam diuulgata familiæ profeſſione, quando olim Auguſti decreto in ciuitate Betleem Dauidica, cenſita fuit, illis ipſis nominibus vbique inclaruiſſet. Iam illud, Filium noſtrum, quis præter Virginis moderationem, ac humilitatem dicat? An ſuperbè iactare Chriſtum filium ſuū, ſe matrem eſſe eius, quem Deum prædicarent Apoſtoli? at nomen Chriſti ne dum apud Iudæos adeò glorioſum illo tempore fuit habitum, vt multùm ex ea gloriatione Virgini concederet; quin probroſum, legibus, & ſupplicijs flagellatum, ipſi quoque eius nominis prædicatores omnium diris obnoxij, exoſi & peroſi. Apud gentes fortaſſe recens conuerſos (Meſſanenſes dico) reris ſpecioſum auræ populari expoſitum? at iſtis ea Virginis ſcriptio, neceſſaria fuit in religione inſtitutio, vt illam prorsùs ipſam

ex ea quoque cõfessione recolerent, quam non ita pridem Pauli prædicatione didicissent. Sed enim numerus multitudinis singulares Anonymi aures offendit. Quid istud, Filium nostrum? dicat vero mysterium, si ignorat scribentis intentum; summa in ea formula elucescit humilitatis nota cũ veritate coniunctaquãdo quæ matrẽ se non negat in tempore, in patrem, qui æternus est, voluntatem quoque & potestatem ex electa Virgine post sæcula generandi refundit, vt verè sit ille filius matris virginis, cui illa carnem dedit, humanamq. substantiam, verè sit & filius æterni Patris, qui infuso in viscera Virginis Verbo, Spiritu sancto nauante, mutuatam ex purissimis sanguinibus substantiam naturæ Verbi in eiusdem persona copulauit; vt non immeritò, re præsertim flagitante, Virgini dicendum fuerit ac scribendum, Filium nostrum, matris videlicet in tempore sine patre, patris ab æterno sine matre, vtriusque tamen vnitim, ac diuisim, sine verborum offendiculo genituram.

At Virginis ad Messanenses epistolam græcè conuersam nunc missam facientes, ad ipsum Paulum reuertamur; eiq. coram Dei genitrice, ipsa annuente, immo ap-

plau-

plaudente, primum, post Petrum Christi Vicarium, attributum locum consideremus.

Cùm enim virgo Deipara ex hoc mundo ad illum, quem ineffabili modo genuerat; migratura esset; ac Apostoli omnes tunc superstites, qui illuc arcano quodam modo, & ratione admiranda, ex varijs orbis partibus aduenerant, diuinum in ea peractum œconomię Christi mysterium angelicis, planeq. diuinis concentibus, & laudum præconijs celebrarent, expletis sanctorum Petri, Ioannis, Andreæ, Simonis, Thomæ, Philippi, Iacobi minoris, Matthæi, Bartholomæi, Thadæi, & Matthiæ Apostolorum laudibus, dixit idem Petrus, teste Amadæo: *Congregatis nobis coram Genitrice Domini nostri Iesu Christi, viri fratres charissimi, notum est iam nobis, qualiter excluso ipso Iuda à societate nostra; loco ipsius annumerauimus hunc, qui vltimo loco nunc locutus est, Matthiam; deinde, Spiritu sancto mandante, electi fuere in Apostolatum Paulus hìc existens, & Barnabas, qui valde vtiles fuerunt fidei nostræ, & Ecclesiæ Dei. Et verè hic Paulus, vas electionis à Christo Domino nominatus est. Hìc sumus coram Regina, & Domina nostra, iustum &*

Amad. in sua Apo. capt. 8.

Vide nostrum Mariale Apost.

& congruum existimo, vt ei tribuatur locus inter nos, & dignus locus; nam ipse scientia & eloquentia dignus, & excelsus est, & gratia Dei est in illo, & abundans donum Spiritus sancti. nunc ergo considerate, quem locum inter nos mereatur, vt ille ei detur sententia communi omnium nostrum, vt sicut à Domino est electus, etiam à nobis non sit neglectus. Tunc Andreas apostolus ait: Dominus noster nos instruxit, dicens: Qui maior est inter uos, erit minister vester, quia dignitas & præsidentia nostra, ministerium est, & seruitus. Nos vndecim adhuc sumus: Iacobus enim Herodis gladio decollatus est, cuius anima hic est, vt videtis. Paulus igitur erit vnus de duodecim, & mihi non videtur, vt alicuius nostrum locum accipiat, sed illius, qui ad patres nostros appositus est. Tribuatur ergo ei locus Iacobi fratris Ioannis, vt sicut Dominus Petrum, Iacobum & Ioannem intimiores habebat, ita post Petrum Vicarium Christi Domini, Paulus & Ioannes inter nos digniores existant, & priores sint in proponendo, respondendo, & decidendo. Hoc mihi videtur, si Reginæ nostræ non displicet, & ij fratres mei sint contenti. Virgo Maria Dei mater commendauit Andreæ sententiam, quæ omnibus vniuersaliter placuit.

cuit. Vocauit ergo Petrus (licentia à matre Dei accepta) Paulum ad se, & eum cum Ioanne iuxta se sedère iussit: placuit namq. vnanimiter sententia omnibus, & iudicium Andreæ apostoli. Barnabas verò adiunctus est, vt esset post Matthiam decimus tertius apostolus. Lucas post illum & Marcus, quorum laus est in Euangelio. quo facto, dixit Petrus: Paule frater apostole dignissime, tu quoquè aliquid ad propositum pertinẽs, gratia Dei te docente, dices: deinde Barnabas, Lucas & Marcus dicent & ipsi, vnusquisq; secundùm gratiam à Deo sibi collatam. Paulus itaque sic verba sua in medio fratrum proposuit, dicens.

## Sermo S. Pauli apostoli in transitu beatæ Mariæ virginis.

Nunquam ego, genitrix Dei nostri inclyta, & tu Petre, cui claues Regni cælorum spiritualiter datæ sunt, vosq. Apostoli dignissimi Domini nostri Iesu Christi, in hunc locum conscendissem: nisi verba Andreæ constantissimi apostoli, immo verba ipsius sapientiæ Christi Domini mouissent, dicentis: *Qui maior est vestrum, erit minor & minister vester*: non enim inter nos debet esse sicut in curijs, & domibus Regum huius sæculi: Maiorem itaque me faciendo, minorem feci-

stis; quia hæc maioritas, seruitus est Iesu Christi. Enitar ergo tantò humilior esse in omnibus, quantò me maiorem fecistis; quia hæc maioritas, vt dixi, seruitus est Iesu Christi. Ille vtiquè maior est, qui Deo magis se humiliat; ille dignior est qui indigniorem se putat; ille sanctior est, qui se iniustiorem credit: cuius rei exemplum ecce coram nobis habemus in Virgine humillima, cuius humilitatem supra omnia alia respexit Deus: quãuis enim ipsa sit decora mente & corpore, & nulla virtus sibi deficiat, tamen Altissimus, qui in excelsis habitans humilia respicit in cœlo & in terra, humilitatem eius respexisse dicitur, superbumq. Luciferum de cœlis ad tartara detrusit, & Mariam humillimã super omnes choros Angelorum sublimauit. De cuius ingenti gloria, & innumerabili gaudio, in sempiternum duraturo, & de cœlestis curiæ dispositione, tamquam ille, qui raptus fui vsque ad tertium cœlum, quædam coram vobis ego minimus Apostolorum dicam. Cœli, ad quos nunc, o Maria, properas, vt oculis mentis meæ clarè conspexi, septem sunt, quorum vnumquodque vnam lucem tantùm gerit. Primum quidem Lunam, secundum Mercurium, tertium Venerem, quartum

So-

*Solem, quintum Martem, ſeſtum Iouem, ſeptimum Saturnum. Deinde eſt octauum cœlum, in quo ſunt omnes aliæ ſtellæ, quas videmus, & plurimæ ſunt, quas videre non poſſumus; omnes tamen ſunt in cœlo illo, in quo ſunt etiam duodecim ſigna, ſcilicet, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Piſces. Super illud eſt vnum cœlum, in quo nulla ſtella eſt, ſed ipſum motu diurno iugiter mouetur, cuius motus vnicus eſt, & velociſſimus, & miro modo ſecum ducit omnes cœlos inferiores: qui cœli etiã alio motu mouentur, & motu continuo; nam etſi velociſſimè mouentur ab oriente in occidentem; tamen mixtim cum mirabili proportione mouentur tardiùs ab occidente in orientem: in quolibet enim minuto magna portio cœli inferioris ab oriente in occidentem fluit; & dum fluit illa magna portio; parua, & penè imperceptibilis portio eiuſdem reuertitur, quam reuerſionem Luna citiſſimè conſumat: Mercurius, Venus, atque Sol penè in tempore æquali. Curſus autem Solis ſub circulo zodiaci notus eſt omnibus: Mars in ſex annis: Iupiter in tredecim, Saturnus in triginta: cœlum ſtellatum in centum annis gradu vno. Super omnes*

istos

*istos cœlos mobiles est cœlum immobile, in quo tamquam in loco omnia mouentur. Locus autem ipse manet immobilis, vnde omne aliud continens vt contentum continet, & prout ratione illius continet, immobiliter continet: vnde omnes de loco tractantes, ipsum immobilem esse dixerunt, vt verum est: nam etsi immediatè continens, vt aqua, vel aer fluat; non tamen cōtinens vltimum fluit ratione huius firmitatis & immobilitatis. Locus dicitur immobilis, & res nunc existens in vno continente proximo, nunc in alio, non dicitur locum mutare, quia ad primum continens eumdem secundum semper terminatur. Si illud cœlū non esset, nihil propriè locum haberet. Illud autem cœlum est mira arte confectum; vt non solùm spiritibus, sed etiam corporibus humanis sit habitaculum aptissimum & gratissimum. Ibi prima post Deum erit anima Christi filij tui, o Maria sanctissima, quæ ab ipsa Trinitate illuminatur & perficitur. Tu verò etiam ab illa illuminaberis & perficièris. Post te erit Michael, Gabriel, & ita vlterius. iuxta quod Dionysius meus hic existens iam litteris conscribere cœpit. Scio te, o Maria, nihil eorum, quæ hodie loquor, fugere: loquor tamen, vt probes coram fratribus meis verba*

*mea.*

*mea. Merces tua (vt ipsa nosti) est magna nimis, omnem certe beatitudinem, & mercedem superat: tui sumus famuli, tui omnes: memor esto nostri, tu Regis nostri mater; vt vota nostra persoluentes, efficiamur digni repromissionibus Christi, cum quo ecce viuere & regnare feliciter pergis: qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

Deipara verò morti proxima, post Petrum Christi filij sui in terris Vicarium salutatum, dixit: *Vale etiam tu Paule vas electionis, porta nomen Domini Iesu coram gentibus, & regibus, & filijs Israel.* Amadans loco cit.

Refert sanctus Cosmas, cognomento Vestitor, apud Pelbartum in Stellario lib. 10 part. 5. art. 1. quòd cùm beata Virgo morti proxima, inter Apostolos videns sanctum Paulum, eum nominatim salutasset, ille, genu flexo, ait: *Aue, impetratio mei solaminis; licet enim Christum in carne non viderim; tamen, cùm te video, ac si ipsum tuum natum viderem, consolor in spiritu: vsque modo Deum te genuisse gẽtibus prædicaui; amodò te ad ipsum trãslatam docebo.* Cosm. Vestit. apud Pelbartũ.

Virgineo corpore sepulturæ commisso, Paulum de facundia & sapientia Dei matris, alijs coram Apostolis perorasse, testis Pisan. lib 5 de laudib. B. Virginis.

est

est Bartholomæus Pisanus lib. 5. de laudibus Virginis, fructu 8.

Huius Romæ hospitium ac habitatio, quę Actorum cap. 28. vocatur Cōductum, tot eximijs ibi gestis clarissimum, vbi catena circumdatus propter Christi confessionem, mansit toto biennio, cū custodiente se milite, omnibus ad se aduentantibus prædicans regnum Dei, vbi plures scripsit epistolas, ad Ephesios, ad Philippenses, secundam ad Timotheum, ad Philemonem, ad Hebræos, vbi Dei visitatione roboratus est: Hoc inquam hospitium, in templum, cui nomen, Santa Maria in via lata, conuersum est, quod est inter præcipuas Cardinalium Diaconias: in cuius summo altari imago Deiparæ, quæ anulum gestat in digito, à diuo Luca depicta, religiose asseruatur.

Baling. in Kal. Mariæ 25. Ianuarij

Sed & ipse Paulus cum Hispanicas regiones, euangelicæ lucis inferendæ causa peragraret, in Dertusensi vrbe inanium idolorum templum, in veri Dei cultum conuertit, illudq. Dei matris, atque Angelorum Reginæ nomini consecrauit: vt refert Franciscus Martorel, in historia Cinguli beatæ Mariæ, cap. 7.

At quid de huius sancti Apostoli epistolis

lis dicam? In ijs certè, pro singulari in eam studio & amore, Mariæ obliuisci non potuit. Vnde ad Galatas scribens c.4. eiusdem honorificam mentionē fecit in hæc verba: *Misit Deum filium suum, factum ex muliere*: quibus verbis, præter ea quæ supra commemorauimus, ex mente sancti Cyrilli Hierosolymitani, catechesf. 12. *eius virginitatem adstruxit: non enim dixit, Ex viro & muliere; sed, Ex muliere, tantùm, hoc est, ex virgine*. Sed & epistola 1. ad Corinth. cap. 15. Mariam quodammodo cœlum appellare visus est, cùm primum hominem de terra terrenū, secundum autem, id est, Christum, de cœlo, cœlestem affirmauit: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis*: vbi discrimen inter Adamum, & Christum Dominum constituens, docet illius materiam fuisse terram, huius autem cœlum; non quòd Christus Dominus de cælo proprio formatus sit, vt impiè Valentinus nugabatur, cùm reuerà habuerit corpus, non minus quàm cœteri homines, è terrena mole concretum; sed quòd formatus sit è purissima Virginis substantia, quæ cœlum sua puritate referebat. Sic exponit Rupertus lib. 1. in cap. 1. Matth. vbi locutus de

S. Cyrillus Hierosoly. cathec. 12.

Rup. abbas lib. 1. in 1. cap. Matth.

coniu-

coniugio Mariæ & Iosephi: *O coniugium*, inquit, *cæleste, non terrenum*: & statim; *Verissimè, inquit, dixit Apostolus, quia primus homo de terra terrenus, secũdus homo de cœlo cœlestis; nõ quòd iste Iesus Christus, qui ex Maria natus est, de cœlo cum carne venerit, & per Mariam, quasi per fistulam transierit, sicut quidam dixerunt hæretici: sed quòd coniugum vita, tota fuerit cœlestis, quorum vtique conuersatio erat in cœlis.* Sic Rupertus.

Nec crediderim Apostolum, quando præfatæ epistolæ ad Corinth. cap. 14. Mulieres in ecclesia tacere iubet, Mariæ quoque silentium indicere voluisse: illas enim omnino sermone tangit, quæ necessitate fallẽtis naturæ, vel errare possunt, vt coerceantur, vel deuiare, vt dirigantur. Cœterùm mulierem illam, quæ mater capitis, & magistri Ecclesiæ facta, ius quoque obtinuit in membra, & magistræ in discipulos, nõ solùm extra institutum habet Paulus; verùm etiam, tamquam eam, ex qua plurimùm ipse cum cœteris didicit; & cum qua etiam aliquando proculdubio contulit euangelium: tametsi non ab homine acceptum, supra mortales veneratur, vt Incoferiano vtar eloquio.

Incofer in epistola ad Messanensi. pagin. 154.

Ne-

Neque illis verbis ad Romanos, cap. 5. *Omnes in Adam peccauerunt*, eam, quam ab omni prorſus peccati labe puriſſimam cognoſcebat, cum alijs Adæ filijs connumerare intendiſſe exiſtimauerim: licet enim generaliter atque vniuerſaliter locutus ſit Apoſtolus; nulla tamen eſt lex tam generalis, quæ non patiatur exceptionem; & vniuerſales propoſitiones, quæ in ſacra pagina proponuntur, non ſemper vniuerſaliter vndequaque exponendæ ſunt. Sic Hieronymus in epiſtola ad Damaſum papam, de filio prodigo exponens illud Lucę 15. *Fili, tu mecum es, & omnia mea, tua ſunt*, ait, *particulam illam vniuerſalem, omnia, non ſemper referēdam eſſe ad totum, ſed ad maiorem partem*. Quo etiam ſenſu Matth. 3. dicitur: *Exibant ad Ioannem Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem*; cum tamen credibile ſit innumeros in ſua remāſiſſe domo, quin Ioannem viſerent. Hinc etiam Photius Cōſtantinopolitanus Patriarcha, in reſponſione ad Amphilochium adnotauit, *quod ſæpe in ſcripturis figura eſt vniuerſalis, ſed non tamen ſententia eſt vniuerſaliter accipienda*. Cui adhæret Fulgentius de Incarnatione & gratia Chriſti, cap. 31. dicens:

Vid. Lezanam in Apolog. pro Cōceptiōe cap. 28.

D. Hieron. epiſtola ad Damaſum.

Phot. Conſtantin.

S.F Inc.

Eſt

*Est autem familiare diuinis eloquijs, vt omnes nonnumquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneantur.* Quam quoque regulam optimè Cantipratensis lib. 3. Hypotipoſeon cap. 3. mirabiliter probat. Pari ergo modo Apoſtolus, licet omnes, nemine dempto, peccato originali infectos eſſe declarauerit; illam tamen haud neceſſariò incluſit, quam ſpeciali priuilegio ab hoc miſero peccati iugo exemptam, omnes ferè catholici fatentur. Quamuis autem Rex, Princeps, aut Monarcha ſtabili lege ſtatueret, omnes vtriuſque ſexus ſui dominij, vectigal, ſtipendium, aut aliquam impoſitionem ſoluere teneri, quis tamen Reginam, & Auguſtam ea lege conſtringi exiſtimaret! ſed de hoc alias.

Tho. Cantipratenſis.

Porrò Dei mater de Paulo ſuo beatæ Birgittæ aliquando locuta, dixit: *Ipſe*, ideſt Paulus, *fuit feruens contra impugnãtes fidem ſanctam, gaudens in tribulationibus, longanimis in ſpe, patiens in infirmitatibus, compaſſiuus cum dolentibus, humilis in virtutibus, hoſpitalis in pauperes, miſericors ad peccantes, magiſter & doctor omnium, perſeuerans vſque ad finem in Dei charitate.* Sic illa.

Lib. 4. Reuelat. c. 18.

Qui

Qui verò Paulum, cœlestis Reginæ, matris & gubernatricis Verbi diuini, ad mortales nuncium, vt eum S. Francisca Romana appellat, cognoscere desiderat; eiusdem S. Franciscæ vitam legere non contemnat. ibi enim inter alia reperiet, quòd pijssima Dei genitrix, ad auertēda flagella, quæ peccatis exigentibus Romanæ vrbi imminebant, conuocato ad se Paulo apostolo, ei euentura dictauit, ipso Paulo scribente. inter quę & processiones faciēdas præcepit, & Missas celebrandas; scilicet, sanctissimæ Trinitatis, Annūciationis, Natiuitatis, &c. Insuper reperiet, quòd Paulus, ex cœlestis Reginæ mandato, eidem multa secreta reuelauit, Franciscam ad cœlestia perduxit, regulam sororibus obseruandam præscripsit, atque his eam aliquādo verbis affatus est: *Anima tibi loquor ex parte cœlestis Reginæ; fac quòd habeas animum virilem, sis magnanima in omnibus, & quod nulla res vnquam sit, quæ te faciat esse debilem. Sis fidelis in corde tuo: gere humilitatem; amoue à te amorem terrenum, immo te ipsam ab eo spolia, &c.* vt reliqua breuitatis gratia relinquam. Vide si placet opus nostrum de Fundatoribus Marianis, in sancta Francisca Romana.

Vita sanctæ Franciscæ Romanæ.

# DE SINGVLARI SANCTI Andreæ apoſtoli in Mariam Deiparam virginē pietate.

## CAPVT IV.

SAnctus Andreas apoſtolus, Petri frater, Bethſaidæ, qui Galilææ vicus eſt, oriundus, à luce veritatis agnita, Mariam Iesv matrem ſpeciali affectu amplexus, ac aſſiduo veneratus eſt famulatu. Suæ autem erga tantam matrem ſingulare deuotionis ſpecimen oſtendit, dum apoſtolico ſymbolo (ſi Auguſtino ſermone 115. de tempore fidem præſtamus) hunc ipſe articulum attexuit: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine.* Quid illuſtrius? quid profundius? quid ſublimius? Quaſi dixerit, vt explicat Angelus del Pas. Qui Dei filius propoſitus eſt, idem non mutata diuinitate, ſed eadem retenta filiatione diuina, & omnipotentia æquali cum Patre, humanam non abhorruit naturam, nec à ſe alienauit: quin immo cōceptus internuncio Angelo, ſingulari natura humana aſſum-

Aug. ſerm. 115. de tempore.

Angel. del Pas in ſymbolo Apoſt. tom. 1. l. 5.

ſumpta intra maternum vterum: longe tamen aliter, quàm cœteri ſoleāt, concipi: equidem eſt ſimul eius corpus organizatum, formatum, animatum; & eodem inſtāti aſſumptum in hypoſtaſis vnitate, nullo expectato ſpatio temporis. Nam etſi in femina, tamen de Spiritu ſancto, qui in inſtanti agere poteſt, & ad ſimilem inſtantaneam operationem poteſt promouere opus, proceſſit, non de patre Ioſeph putatiuo, ſeu nutritio, nec de alio patre homine: namque inter homines homo factus, originem à matre aliam nō nouit. Ab hac enim iam ſuo augmento ſuſcepto corpore, dierum, ac menſium circulo natus eſt modo mirabili, loco, tempore, & hora præſcriptis, non abſque ſignorum ſtupore, & applauſu multorum. Attamen ſic natus ex matre, vt tametſi in multis à cœteris diſſimilem natiuitatem habuerit, hac in parte ſimilem, quòd velut cœteri, ex matre, veram & homogeneam carnem & naturam eduxerit: eius autem mater Maria, ante conceptum, & poſt ortum filij virgo & intacta. *Natus ex Maria virgine. O mirabiliter fœcunda virginitas*, exclamat Petrus Damianus, ſermone 3. de Natiuitate Domini, *qua nouo & inaudito miraculo*

*& mater dici poſſit, & virgo* : & vt cecinit Alcimus Auitus lib. 6. de Caſtitate ad Fuſcinam ſororem cap. 10.

*Virginis & matris gemina gaudere corona.*

Sed clarius affectum ſuum erga Deiparam teſtatum nobis fecit Andreas, oratione illa præ ſole præclara, atque præ auro obrizo pretioſa, qua eidem Deiparæ paulo poſt extremum acturæ diem, ſupremos in terris honores debitè impendit. Cuius orationis, Amadæo ab Angelo (vt piè creditur) reuelatæ exemplar, in Marianorum cultorum gratiam, expedire viſum eſt hoc loco deſcribere. Sic autem habet.

*Sermo ſancti Andreæ apoſtoli, de laudibus Virginis.*

Ex Amad. in eius Apocalypſi cap. 8.

*Pulchra es, & valde decora genitrix Dei noſtri, tuamq. pulchritudinem ſol, & luna, & cuncta ſidera, immo & omnes virtutes cœlorum admirantur. Iuſtum ergo & rationabile fuit, vt mater Dei tanta puritate ſplenderet, tantaq. pulchritudine fulgeret, vt ſub Dei noſtri pulchritudine nulla in terris, vel in cœlis maior cogitari poſſit. Tu enim tota pulchra es, & macula nulla in te eſt: nihil in te ſordidum, nihil tetrum: omnia ſplendent, omnia rutilant. Quia ergo Ioannes*

*nes frater meus, & filius tuus, licet illi primogenito filio tuo longè impar, de maternitate tua, tamquam filius multa præclarè attulit, & Petrus nouus omnium pastor, tamquam omnium nostrùm humillimus, tuam humilitatem, quæ admodum in te Deo complacuit, extulit: ego germanus ipsius, qui decoris nomen gero, de tuo decoro de tua speciositate, de tua formositate, &, pulchritudine aliquid coram his maioribus fratribus meis dicere curabo. Maximè quia tu sola, ita electa es, vt numquam salus tua, beatitudo tua, ac felicitas tua in dubio fuerint, etiam quando Angelis mandata dabantur, cũ conditione, vt si ea seruarent, beatitudinem detinerent. quando totum genus humanum damnatum erat, totum perierat, totum hæreditate priuatum fuerat; tu sola ab omnium vniuersali damnatione præseruata fuisti. Electa enim eras in Dei genitricem, & omnium reginam: ita vt si homo non peccaßet, tu inter omnes, post filium tuum, prima in regno Dei eßes; peccante verò homine, iam remedium illud, ac si non peccaret, paratum erat. Labores inquam, & dolores Iesu Christi filij tui & Domini nostri tibi profuerunt. Sic enim decreto æterno firmatum erat, vt paßio eius super omnes tibi*

*prodesset, quamuis nondum exhibita esset: quæ tamen valuit, quantum à Deo accepta fuit. Non enim ergo tu mortua in Adam fuisti; quamuis ratione propagationis morti obnoxia fuisti; quia sicut etiam alij, ex vtroque parente es nata, ita & mortua fuisses; quamuis vterque illorum parentum tuorum santissimus esset. Vnica columba, & sine felle, vnica immaculata, recessisti à peccato quocumque: recedere à peccato tam longe nemo potuit. De te Propheta locutus: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Tota gracilis, recta: tota recta, non curua, sine nodo, & sine cortice. O Maria Dei genitrix, o Virgo perpetua, rectè cecinisti: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Laudabunt enim præconia tuæ puritatis, & tamdem omnes agnoscent. Plerique de tua virginitate dubitabunt, & credent te alios filios, quàm Dominum nostrum habuisse. Alij dubitabunt de tua maternitate, & credent te esse matrem vnius solius hominis, & non prorsus Dei: & si Dei, non tamen veri Dei reputabunt matrem, sed illum non distinguent à suo patre, sed credent eumdem esse, qui & filius est. Propter quod sæpius rogaui, vt talia fieri non sineret Altissimus, & dictum fuit*

*mihi:*

*mihi: Sufficit tibi quod tibi datur; noli esse sapientior Deo. Sed scio quod exclusis de tua puritate, alijs opinionibus falsis adhærebunt. Vltimo quoque hæc falsitas à tota Ecclesia excludetur. De pulchritudine, & de maximo decoro tuo, o Domina nostra, loqui volens, tetigi tantùm principium pulchritudinis tuæ, quæ nihil aliud est, quàm donum Dei. & de tuo ingenti decore, & virtutum tuarum omnium splendore Thomas, Philippus, Iacobus, Matthæus, & ij adstantes, altiori ingenio altiora dicent. Nos omnes peccatores sumus, & fuimus; tu verò peccatorum omnium redemptorem, o Virgo immaculata, concepisti, virgo peperisti, & inuiolata semper fuisti. Tibi, & filio vnico tuo Domino nostro, nos commendatos fore velis, vt quæ sine peccato semper fuisti, nos & posteros peccatores, tua charitate & dilectione complecti digneris, mihique, si in dicendo prolixior fuerim, ignosce. Senes quippe quando incipiunt, abundantius loqui consueuerunt. Ignosce ergo, Domina, ignosce Regina: ignosce iterum, iterumq. ignosce, mater Dei nostri, mater suauissima.* Sic Andreas.

Hac verò oratione quid, ad incomparabiles beatissimæ Virginis excellentias pernoscendas accommodatius? quid ad fidelium

lium in sacrosanctam Deiparam pietatem promouendam, ac prouehendam aptius? quid denique auctore, eiusq. in beatam Mariam obsequio, atque affectu dignius inueniri potest?

Amadæus loco cit.

Meritò proinde Deipara ex hac lacrymarũ valle in cœlum concessura, tam eximium præconem suum huiusmodi salutatione beauit: *Vale Andreas, qui primò & ante omnes secutus es Christum, neque præmio eris posterior*: cuius etiam iudicium de secundo Pauli inter Apostolos loco, vt fusè in Paulo diximus, approbauit.

Barth. Pisan. de laudib. Virgin lib. 5. fru. 8.

Sed & tradito beatissimæ Virginis corpore sepulturæ, Andreas eiusdem beatissimæ Virginis in fide constantiam, oratione pulcherrima celebrauit. vt refert Bartholomæus Pisanus lib. 5. de laudibus Virginis, fructu 8. Morti verò proximus è crucis cathedra, quasi extremum legatum, suam fidelibus de immaculatæ Virginis perpetua puritate sententiam, his aureis planè verbis tradidit: *Sicut primus Adam ex terra immaculata formatus, ita & Christus ex Virgine immaculata*: vt habetur in eius passione, ab Achaiæ presbyteris descripta; vel, vt inquit Abdias Babylonicus, in gestis eiusdem sancti Andreæ, lib. 4. *Sicut Adam for-*

Presbyt. Achaiæ in vita S. Andr. ex apóst

Abdias Babyl. lib. 4.

*formatus ex terra, antequam esset maledicta; ita & secundus Adam ex terra virginea numquam maledicta*. Quibus etiam sanctus Dominicus patriarcha, suum de sacramento Corporis Christi libellum inaurauit, ac planè apostolico ore, de immaculatæ eiusdem Virginis prærogatiuis, corollarium attexuit.



DE

# DE SINGVLARI Sancti Iacobi maioris apostoli in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT V.

SAnctus Iacobus maior apostolus, Zebedæi filius, sancti Ioannis apostoli germanus frater, natione Galilæus, qui occidentalibus locis euangelium prædicauit, & in occasu mundi, luce prædicationis effulsit: in sacratissimam Christi parentem, si Apostolorum alius, vario, continuoq. cultu propensus fuit. Hic (si Dextro credimus) vt in Hispanijs, festum immaculatæ, & illibatę Conceptionis Dei genitricis, singulis annis celebraretur, sua prædicatione effecit: *A Iacobi enim prædicatione* (ait Dexter in chronico ad annum Domini 308.) *celebratur in Hispania festum immaculatæ & illibatæ Conceptionis Dei genitricis Mariæ.* Quod Dextri testimonium, inquit Biuarius, tam ingēs scandalum quibusdam generauit, vt non solùm falsum, & commentitium adstruxerint, verùm

Dexte: in chronico.

Franc. Biu. in comm. ad chronic. Dextri pag. 361.

rùm etiam toti chronico notam eamdem adſcripſerint, quaſi ob hoc præcipuè ſuppoſitũ ſit, quod immaculatæ Conceptionis myſterium cõmendaretur Dextri, grauiſſimi auctoris teſtimouio. Cœterùm, quamuis pro immaculatæ Deiparæ Conceptione, multæ, eæq. grauiſſimæ ſanctorum Patrum extent ſententiæ, illud tamen mihi dubio procul eſt, præſens teſtimonium nihil oſſicere, neque prodeſſe alterius partis propugnatoribus; ſed longè alio ſenſu, quã ipſi accipiant, à Dextro receptum fuiſſe, continereq. tam certam veritatem, quòd à nemine catholicorũ inficiari poſſit. Tantùm abeſt, vt aliena à Dextri ſententia cenſeri debeãt, & parum ſinceram vetuſtatem redolère credantur. Quid illud? nimirum ſanctum Iacobum in Hiſpaniјs inſtituiſſe immaculatæ Incarnationis Verbi Dei feſtum? Quis id neget Iacobum feciſſe? rudis admodum ille eſt, qui neſciat, dominicam Natiuitatem, Paſſionẽ, Reſurrectionem & Incarnationẽ pariter à ſanctis Apoſtolis celebratas, & celebrari edoctas, in vniuerſo chriſtiano orbe: ergo & Iacobus in Hiſpaniјs, cùm euangelicæ prædicationi inſiſtebat, idem feciſſe credendus eſt. Hoc igitur illibatæ, & immaculatæ Conce-

ptio-

ptionis Dei genitricis Mariæ festũ à Dextro nuncupatur, Conceptionis nomen, non in passiua, sed actiua significatione vsurpans; idest, pro ea conceptione, qua Deipara virgo sine macula & labe Dei filium in suis castissimis concepit visceribus, non pro ea, qua à beata Anna concepta fuit. Neque verò quis putet in alienum sensum nos verba prædicta contorquere, eò quòd videat, nunc temporis, conceptionis nomen, cùm beatæ Virgini tribuitur, in passiuum accipi sensum; olim siquidẽ in actiuum accipi solitum multa demonstrãt argumenta: nam vt omittamus eo sensu acceptum à Domino, cùm de peccati originalis pœna agit illis verbis: *Multiplicabo conceptus tuos*: vel vt alia translatio habet, *conceptiones tuas*; præcipuum sit, quòd veteres ad notandum Conceptionis festum, non vtebantur verbo, Conceptionis Deiparæ, sed potius, Conceptionis beatæ Annæ. Sic Græci in Menologio die 9. Decẽbris: *Conceptio*, aiunt, *munda beatæ Annæ, Dei & Domini nostri auiæ*, pro eo quòd nos dicimus, *Conceptio sanctæ Dei genitricis*. Eadem prorsus phrasi vtuntur Syri, qui in Kalendario habent, *Conceptio Annæ iustæ in Domina nostra genitrice Dei*, *die*

Gen. cap. 3

Menolog. Græcorũ 9. Decemb

Kalendar. Siriacum.

*die 9. Decembris*. Lego etiam sanctos Patres sæpissimè Cõceptionem Virginis, eam, qua Deum ipsum concepit, nuncupare. Sic Bernardus in sermone 4. in vigilia natalis Domini: *Attende*, inquit, *& conceptum inuenis sine semine. Quid gloriosius, quàm sancta & sincera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis?* Et Cyprianus, seu alius æqualis, de cardinalibus Christi operibus, sermone de Natiuitate: *O Virgo iusta, & omni iustitia plenissima, cuius conceptio singularis*, nimirùm quia sine viri semine perfecta fuit: vnde & subdit, *Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est*, idest, libidinosus pruritus; *ideoq. innoxiam affligi non decuit*. Bernardus iterum, homilia 4. super Missus est, Conceptionem Baptistę, vocat cõceptionem Elisabeth: nec mirùm; cùm conceptio, actionis nomen sit proprius, quàm passionis. Hunc certè sensum reddunt verba illa Lithurgiæ decimæ ex Græcis, quas Claudius Spencæus edidit: *Qui consecuti sumus gaudium in tuo conceptu, o planè immaculata, salutamus te cum Angelo, clamantes, Aue*: quæ tamen, nonnulli immerito de passiua conceptione intelligi volunt, reluctante ipso contextu, qui

Bern. serm. 4. in vigilia nat. Domi.

S. Cyp. in sermone de Natiuit.

Bern. hom. 4. sup. Missus est.

Lythurgia Græcorũ.

qui de Annunciatione angelica planus est. Neque alium reddere credo verba cuiusdam orationis, quæ in Breuiario sancti Isidori reperitur: *Domine Iesu Christe, qui sic Virginem matrem honorificasti, quousque Conceptionis eius gratia, eam coram te suffragatricem incōparabilem inuenìmus, &c.* Inuenìmus certè eam suffragatricem, dum Dei Verbum concepit, non verò dum concepta est. Insuper in idem recidit, si verũ est, quod ex Paulo Orosio, Dextri coæuo referunt Mauritius de Villaprobata, in Corona Mariana, serm. 16. & Bernardinus a Busto, serm. 8. de Conceptione, part. 3. scripsisse, videlicet, in quadam epistola ad sanctam Eustochium, Hieronymi discipulam: *Coram Deo noui, & in veritate còmperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam deuotè Mariæ gratia imploratur, & dies conceptionis eius celebratur; quando nimirum sine pudore concepit, vt sine dolore pareret.* Hæc enim erat Mariæ gratia, periclitantibus puerperis congrua, ab ea quærere auxilium, quæ accepit in conceptione filij gratiam, *vt esset sine grauamine grauida, & sine dolore puerpera*: vt Bernardus alicubi dixit. Hæc omnia Biuarius, vir doctissimus, atque insigniter

Breu. S. Isid

Paul. Oros. in epistola ad Eustoch

ter

tèr eruditus; vt ostenderet nihil aliud pręfato testimonio voluisse Dextrum, quàm Hispanos ab apostolo suo Iacobo festum Annunciationis angelicæ recepisse: vel vt Iacobum, festi immaculatæ & illibatæ Cõceptionis Dei genitricis Mariæ, primum in Hispanijs institutorem declararet.

Hoc Conceptionis, seu Annunciationis mysterium, præ alijs dulcius sapiebat Iacobo; atque ideo eius festum, in Hispanijs, nõ solùm instituit, sed & in eius honorem primum templum Cœsaraugustæ erigi curauit; vt egregiè M. Maximus cecinit, in hymno, quem de ipsius templi erectione edidit; vbi inquit: M.Maxim.

*Ostendit illi se hilarẽ* (Deipara Iacobo)
*Suoq. natalitio*
*Conceptionis aureæ*
*Templo manent encomia.*
*Conceptionis hinc diem*
*Iacobus Hispanos docet,*
*Et prædicat ceu cœteri* (Apostoli)
*Ab omni labe liberam.* (id est Conceptionem sine semine factam.) Quòd verò de conceptione actiuè accepta loquatur Maximus, satis conuincitur ex eo, quòd asserit, eam conceptionem à Iacobo immunem à peccatis prædicari, quam cœteri

teri Apòſtoli liberam ab omni labe prædicarunt; & hanc, nullus non videt, eſſe actiuam Virginis Conceptionem. Clarius adhuc oſtenditur ex his, quæ ſubinxit.

*Hinc mos habet principium*
*Hunc celebrandi iugiter*
*Populis Iberis diem,*
*Qui durat vſque hodie.*

Cuius, rogo, Conceptionis feſtum ab initijs Eccleſiæ catholicæ vſque ad Auctoris tempora, & deinceps durauit, niſi actiuæ? Demum ad idem credendum manuducimur ex peculiari, ac præcordiali deuotione, quam Hiſpani olim habuerunt ad virginalis Conceptionis myſterium, in cuius venerationem, communi & eccleſiaſtica feſtiuitate 25 Martij non contenti; in 10. Concilio Toletano, inſtituta eſt iterata ipſius celebratio 18. Decembris, quod videlicet prior quadrageſimali tempore accidat. Tam altè igitur huius myſterij deuotio, cordibus Hiſpanorum repoſita, arguit, tum à magno illo ſuo præceptore acceptam, tum etiam & ſpecialiter cõmendatam in Columnæ Cœſarauguſtanæ erectione.

Conc. Toletanũ 10.

De templo autem, quod diuus Iacobus in honorem Marianæ Conceptionis, Cœſarau-

ſarauguſtæ erigi curauit: ſic Dexter in chronico, ad annũ Chriſti 37. *Iacobus ſanctus apoſtolus, Zebedæi filius, peragratis vrbibus Hiſpaniæ, multisq. erectis eccleſijs, & Epiſcopis creatis ex aduenis, templum vel oratorium beatæ Virgini ex eius iuſſu, præſentiaq. ſuper columnam Cæſarauguſtæ erexit.* In quem locum eruditiſſimus Dextriani chronici cõmentator Biuarius. Nihil, inquit, æque ſtabilitum teſtimonijs grauiſſimorum auctorum, nihil tota Hiſpana ſacratius, ac venerabilius animis hominum inſedit, atque Hiſtoria fundationis Angelicæ domus, ſanctæ Mariæ de Columna, Cæſarauguſtanæ ciuitatis. Sane eam retulit beatus Caledonius Bracarenſis epiſcopus in vita ſanctiPetri Ratiſtenſis apud Hugonem Portugallenſem epiſcopum, dum ait: *Quindecim menſibus vix ferè elapſis, eius magiſter Iacobus, ad Cæſarauguſtam, ædiculam excitarat, in honorem Deiparæ virginis:* additq. paulò poſt aliam erexiſſe Bracaræ in eiuſdem Virginis memoriam. Eam quoque approbauit, felicis recordationis Calixtus III. in bulla ſua ſub Datum Romæ Kalendis Octobris anno 1456. vbi, inter alia, hæc habet: *Eccleſia prima inter cæteras ſub vocabulo beatæ Mariæ,*

Dexter in chronico.

Biuarius loco cit.

Caled. in vita ſancti Petri Raiſt.

Cali. Par. 3

*riæ, in qua dicta beata Maria, ante quam ad cœlos aſſumeretur, beato Iacobo maiori in columna apparuit*: & infra, *Inibi infinita miracula, diuina prouidentia dietim fiunt*: & rurſus, *Chriſti fideles magna deuotione, ac veneratione imaginẽ eiuſdem B. Mariæ, & eius filij, in quadam capella eiuſdem eccleſiæ (quæ de mandato dictæ beatæ Mariæ, per dictum beatum Iacobum fabricata, & Camera angelica Dei genitricis de Pilar nũcupata exiſtit) colunt & venerantur, & cum maxima deuotione viſitare non ceſſant*.

Longum verò eſſet, & operoſum valde, omnium auctorũ verba referre, qui eamdem traditionem docuerunt; de numero ſiquidem eorum ſunt, Gualbertus Fabricius Ciſtercienſis in chronico ſuo, Marinæus lib. 5. cap. de ſacris ædibus, Vaſæus anno 37. & 44. Beuterus part. 1. chronol. Hiſpan. cap. 25. Damianus à Goes in genealogia Regum Hiſpaniæ tom. 2. Hiſpaniæ illuſtratæ, Stephanus Garybai in compendio hiſtor. Hiſpan. lib. 7. cap. 3. & 4. & alij, quorum meminit Biuarius loc. citato, ad quem deſtino lectorem.

Thomas de Trugill. to. 2. Thes. & Gon. in chronico Deiparæ.

Res verò ita contingit: Exiuerat aliquãdo beatus Iacobus cum diſcipulis ſuis, cùm prædicaret Cæſaraugustæ, iuxta flumen

men Iberum, nocte, vt melius eos exerceret, & occuparet in oratione. Itaque apparuit ei ſacratiſſima virgo Maria ſuper columnam quamdam ex lapide, quæ ibi erat, in multo Angelorum comitatu & ſocietate, qui matutinas preces & horas, ſuauiſſimè modulabantur: quam cùm vidiſſet beatus Iacobus apoſtolus, genibus flexis, cœpit preces ſuas ad eam ſupplex fundere, quæ dixit ei: *In hoc loco ædificabis eccleſiam, ſub inuocatione mea: ſcio enim hanc Hiſpaniæ regionem fore mihi deuotiſſimam; & poſthac ego eam ſub patrocinium meum recipiam.* Poſtea autẽ receſſit beata Virgo; & beatus Iacobus cœpit cum magna diligentia & ſedulitate incumbere in opus ipſum, & intra ipſius templi ædificium, concluſit columnam illam ex iaſpide, ex qua nomen ſumpſit totum tẽplum. Cùm Hieroſolymis maneret Iacobus, in eadem cum Virgine habitabat domo, quæ prima fuit, materq. eccleſiarum, cuius ipſe erat Epiſcopus, qui Virginis curam habebat, eamq. cuſtodiebat, vt exiſtimat Caſtro in hiſtoria Deiparæ fol. 575. Caſtr. in hiſt. Deip.

Fuiſſe Iacobum noſtrum Deiparæ comitem, dum illa ad tempus Hieroſolymis diſcedens, cum Ioanne Epheſum conten-

 de-

debat, testatur in chronico præfatus Dexter ad annum Christi 41. dum ait: *Vt sui Apostolatus aliquod præberet specimen Ioannes theologus, comitãte beata Virgine, Ephesum proficiscitur, comite quoque beato Iacobo, qui & Ephesi ad tempus prædicat.*

L. chronico.

Testatur & Heleca, episcopus Cæsaraugustanus in suis additionibus, scribẽs: *Memoria, diesq. festus ab ipsius in Hispaniam ingressu, sancti Iacobi Zebedæi filij, celebris habebatur, qui postquam Hispanias adijt, Ephesum comitatus est sanctissimam Virginem, vnà cum Ioanne fratre eius, non prius quàm in Hispaniam veniret; sed reuersus ab Hispania.* Quòd vero Deipara Ephesum contenderit, habemus grauissimum testimoniũ Patrum magni Concilij Ephesini, quorum auctoritati nemo sanę mentis refragabitur. Hi enim in epistola depositionis Nestorij, quæ reperitur in tom. 2. Concil. cap. 27. sub hac inscriptione: *Sacra Synodus religiosissimo Clero, Populoq. Constantinopolitano S. D.* ita inquiunt: *Nemo vmquam Creatori suo obsistere ausus, diuinam vindictam euasit. Quare & Nestorius impiæ heræseos instaurator, in Ephesiorum ciuitate, quam Ioannes theologus, & sacra Deipara virgo Maria quandoque in-*

Heleca Cæsaraugust.

Conc. Eph.

colue-

*coluerunt, constitutus, à sanctorum Patrum, & Episcoporum cœtu, vltrò seipsum abalienans, post trinam citationem, sacræ sinodi sententia, diuinoq. sanctorum Patrum iudicio condemnatus, omniq. sacerdotali dignitate exutus.*

Quod verò ait Epiphanius hæresi 88. *Et quidem cùm Ioannes in Asiam instituerit profectionem, & nusquam dicit scriptura, quòd adduxerit secum beatam Virginem, sed simpliciter siluit, propter miraculi excellentiam:* non quidẽ negat, quod Ephesini Concilij Patres asseruerunt, sed tantùm asserit propter excellentiam, id silentio obuolutum à scripturis, ne occasionem sumerent maligni, introducendi mulieres. Epiphanius hær. 88.

*Epheso Hierosolymam beata Virgine reuertente, etiam reuertitur B. Iacobus*, inquit Dexter ad annum Christi 42. *qui prædicans acerrimè Iudæis (prius interfuit hoc anno consecrationi ædis sacræ Nazareth, in qua Virgo Deum concepit, præsentibus nonnullis Apostolorum) succiso capite ab Herode; recens Hierosolymam reuersus, nobile maryrium 25. die Martij gloriosè pertulit. Discipuli verò sancti Iacobi, Dei monitu, Virginisq. consilio, corpus magistri, Ioppe in naui deponentes, Iriam Flauiam Galleciæ ciuita-* Dexter in chronico.

*uitatem, felici nauigatione peruenerunt.*

Adfuit in spiritu, beatissimæ Virginis ex hac mortali vita migrationi, vt refert Amadæus in sua Apocalypsi, raptu 8. Virginẽ morti proximam, sic filio locutam tradẽs: *Fili mi carissime Iesu, cuperem vt adessent Apostoli tui omnes, qui supersunt, & etiam anima Iacobi, fratris mei, nuper decollati ab Herode; vt videatur ab Apostolis, præsertim à Ioanne fratre suo.* Quod & à filio obtinuit, vt ipsa alijs Apostolis testata est, his verbis: *Ecce hìc inter vos anima fratris mei Iacobi Zebedæi, quæ nihil locuta est; quia aliud est commercium illius, & aliud istud, non licet conuersationem illam facere istam.*

Amadæus raptu 8.

Deipara verò in cœlum ascendente, hic idem Iacobus cũ Ioanne Baptista, Iosepho Anna, Ioachim, Simeone, Stephano primo martyre, atq; alijs, dixit: *Ecce genus nostrum, & caro nostra: ecce Regina & Domina nostra. Quæ scandis super æthera, in æternum regnatura. Ipsa est gloria nostra: ipsa magnificẽtia ciuitatis nostræ. Prosequamur eã laudibus; comitemur cãtilenis dulcibus. Pulchræ sunt genæ illius sicut turturis: collũ eius sicut monilia regis. Murenulas aureas faciemus ei, vermiculatas argento. Ecce tu pulchra es Maria, & oculi tui columbarum.*

Idem Am. loco cit.

DE

# DE SINGVLARI Sancti Ioannis apostoli in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT VI.

INTER omnes beatissimæ Virginis, ac matris suauissimæ cultores eximios, adoptiuos filios, ac dilectissimos Beniaminos, nulli quidem existimari debet secundus; sed facile omnium princeps iudicari, sãctus Ioannes apostolus & euangelista.

*Sanè*, inquit sanctus Hieronymus, *beatam Virginem etsi omnes venerati sunt discipuli, eiq. famulabantur affectu dilectionis, Ioannes tamen, amplius ac specialius, vsque in finem vitæ, qui sibi commissam acceperit in suam, quasi matrem filius. cui benignus magister de cruce, Mulier, inquit, ecce filius tuus: ad discipulum autem, Ecce mater tua, vt Virgo Virgini cohæreret, & deseruiret officiosissimè cura adoptionis. Non enim pudicissima virginitas, alicui discipulorum, rectius quam virgini commendatur,* Hieronym. in serm. de Assump. &c

*vt esset adinuicem grata societas, & floridus aspectus, necnon & venustas conuersandi vernans, alternatim pudicitiarum splendore decoratus.* Sic ille. Cui consonat sanctus Ildephõsus, archiepiscopus Toletanus, sermone 6. de Assumptione, dum ait: *Licet omnes Apostoli Mariam venerarentur, eiq. officio dilectionis famularentur, plus tamen, & specialius cœteris, Ioannes vsque ad finem vitæ dilexit & coluit, quiq. sibi commissam Virginem accepit in suam, & sic ei quasi filius matri adstitit, & obsecutus est, recordans illud, quod à benigno magistro in cruce audierat: Mulier, ecce filius tuus.* In quæ postrema verba Illustrissimus Archiepiscopus Valentinus beatus Thomas à Villanoua: *Pendebat*, inquit, *in cruce moriturus, & vnde venerat rediturus Iesus, disposuit testamentum electis suis, Patri spiritum, Ecclesiæ corpus, peccatoribus sanguinem, Latroni regnum, militibus vestes, Petro Ecclesiam, Apostolis Paracletum, electis charismata liberaliter distribuit: aderat ibi dilectus, quid sibi legaretur expectans. Quid tibi, o dilecte legabo? quid in vltimis dabo tibi? ecce mater tua. Hæc omnium, quæ possideo, charissima & pretiosissima gemma, hanc tibi trado, hanc dono. Et ad matrem con-*

S. Ild. ser. 6 de Assump.

Villanoua in serm. de S. Io. apost.

conuersus, Mulier, ait, ecce filius tuus: & ex illa hora, accepit eam discipulus in suam, exultans & gaudens, quia talem sibi hæreditatem eius Dominus reliquisset: verè funes ceciderunt ei in præclaris, & hæc eius hæreditas præclara est sibi. O magnum dilectionis indicium! suo loco apud matrem constituit eum, & pro se in filium Virgini reliquit eum. Huic gratiæ quid amplius addi potest? neque putemus vacua illa Saluatoris verba fuisse: neque enim defuerunt viri pij & docti, qui assererent, non sola æstimatione humana, filium reputari potius, quàm esse, quales lex & adoptio solet filios procreare: sed eum, qui verbo suo cuncta creauit de nihilo, potuisse aiunt filium de non filio, quod si potuit, & fecit, non enim dixit, Habeto illam in matrem; sed assertiuè, Ecce mater tua. Sit hæc pia opinio & religiosa; ego illi meam non adstringo fidem. Mater ergo illius est, non lege, non natura, sed gratia. Vnde & meritò, ex illa hora, accepit eam discipulus in suam; sciens quia verè sua est, quã Veritas suam dixit. Impressit in hoc verbo Dominus statim cordi virgineo amorem quemdam maternum in Ioannem, fortiorem & ardentiorem, quàm soleat matribus natura tribuere: visceribus etiam Apostoli reueren-

uerentiam filialem in Virginem inseruit, qualem nullus filius natura habet in matrē. Atq; ita, sicut dicēdo: Hoc est corpus meum, verum corpus suum fecit ex azimo: sic etiā dicendo, Hic est filius tuus; amore filium fecit ex cognato, non tamen natura, sed gratia; altiori tamen modo, quam lex & adoptio filios efficere queat. Iam ex hoc intelligere licebit, quantæ felicitatis & gloriæ fuerit; tot annis post ascēsionem Domini cum Virgine commorari, eam sicut filius alloqui, eius decora præsentia, & iucundo colloquio tam familiariter frui, eius magisterio imbui, eius exemplo & moribus instrui. O verè egregium discipulum, qui post Christum Dominum, talem promeruit habere præceptorem. Quid ab ea non didicit? quid non ab ea impetrauit? Omnia quæ à filio suo in familiaribus locutionibus ipsa audierat, in Ioannem, sicut in filium, libentissimè transfudit. Vnde meritò super omnes Euangelistas, spiritu & intellectu volauit. Non mirum, inquiebat Ambrosius in lib. de Institutione Virginis, cap. 7. Ioannem præ cœteris locutum mysteria diuina, cui præsto erat Aula cœlestium sacramentorum. Nam si vna huius Virginis salutatio, Baptistam in vtero tanta gratia perfudit, quid putas in Euangeli-

Ambr. lib. de Instit. Virg. ca. 7.

geli-

*gelista tam diuturna conuersatio fuit? Si grande fuit, apud Elisabeth tribus mensibus Virginem commorari; quantum erit, tot annis apud eãdem Virginẽ in eadem domo versari? Benedixit olim Deus Obededom, quia in domo sua Arcam Domini recepisset; & Ioanni quomodo putas benedixerit, qui Virginem Theotocon tot annis apud se habuit? Hæc, vt existimo, omnium gratiarum maxima fuit, hoc maximum & præcipuum amoris indicium, quamquam & in alijs nihil omisit Christus, quod dilecto suo non donaret.* Hæc Villanoua.

Hanc verò gratiam, amorisq. indicium singulare, voluit idem Christus non solùm euangelico præconio efferri, sanctorumq. Patrum monumentis celebrari; sed aris, templis, ac religiosis ordinibus, in tantæ rei memoriam in christiano orbe erectis, atque institutis honorari. Nam, vt habet Martyrologium Gallicanum sub die 27. Decembris. Zacharias Senonensium metropolis, claræ virtutis & religionis Antistes, insignem basilicam sua in Diœcesi, sub inuocatione sancti Ioãnis apostoli & euangelistæ, Virginis Dei matris adoptitij, custodis, & hæredis, dudum extruxit, memorq. dominicæ pietatis, qui moriens Virgi-

Martyrol. Gallic. sub die 27. Decembris.

ginem matrem Ioanni virgini, discipuloq. prædilecto commendauit, virgines ibi sacras collocauit, quæ sub clientela ipsius Ioannis, virginitatis professoris, & custodis casti famulatus, Christo Virginum sponso obsequia iugiter persoluerent. Eadem mente præditus, Robertus de Arbricello, aliàs de Arsbruscellis, vt dixi in Fundatoribus Marianis cap. 10. Ordinem Fontis Ebrardi, archimonasteriumq. in Pictauiēsi agro fundauit. Etenim in honorem Deiparæ virginis, & Ioannis ministri eius, pręclarum hunc cœtum studuit consecrari, ratus virginalibus sub auspicijs, Virgines vtriusque sexus, castitatis vota cōgruè profiteri, cùm fœminæ in Maria, viri in Ioanne, perfectæ puritatis habeant nitidissimum speculum, eiusdemq. in ijsdem præsidium singulare vicissim sortiantur. Respexit autem maximè vir pius, ad Christi testamentum, qui matris obsequijs, Ioannem sibi dilectissimum, sui vice mancipauit: qua ex forma voluit auctor præfatus huius Ordinis, vt Ascetæ masculi, Præfectæ sacrarum Virginum ipsius instituti subessent, Virginibusq. in omni pietatis officio famularentur. At vicissim Abbatissa, quæ locum sanctissimæ Deiparæ, eo in ordine

dine obtinet, eos, vt illa Ioannem, materna dilectione exciperet, atque non vt seruos haberet, sed vt filios suos charissimos omni pietatis affecta prosequeretur. Sed ad alia gradum faciamus.

Vt suum, erga talem, tantamq. matrem, sibi à Dei filio, ac magistro dilectissimo cõmendatam, amorem, ac singularem reuerentiam, re ipsa declararet Ioannes; in ijs, quæ ad victum & vestitum pertinebant, fidus eius, quoad ipsa vixit, procurator fuit. Vnde Philippus abbas Bonæspei lib. 1. in Cant. cant. cap. 12. *Vnus*, inquit, *Ioannes præ cœteris Apostolis, eiusdem Virginis curam egit, & ex mandato Christi, in illius obsequium sedulò se redegit, eiq. vt matri filius obsequentem diligentiam impertiuit, & in sua receptæ, prouisoris ministerio deseruiuit*. Consentit Rupertus lib. 13. in Ioannem cap. 19. dicens: *Accepit Ioannes Mariam in sua; non prædia, quæ nulla habebat, vel habiturus erat (quippe, qui de illis vnus erat, qui Dominum secuti, reliquerũt omnia) sed sic, In sua, dictum est, vt in illa quoque communione rerum, qua diuidebatur singulis, prout cuique opus erat, ad huius curam, quidquid illi eßet neceßarium, pertineret*. In eamdem sententiam scribit

Philp. abb lib. 1. in Cã

Rup. lib. 13 in Ioanne.

Beda

Bed. in ca. 19. Ioan. Beda in euangelium Ioannis cap. 19. *In ea societate beatus Ioannes perceperat centum, vbi nemo dicebat aliquid suum; sed erant illis omnia communia, sic enim erant, quasi nihil habentes, & omnia possidentes, & distribuebatur vnicuique, prout cuiq. opus erat. Vnde intelligendum est, sic distributum huic discipulo quod opus erat, vt illic etiam beatæ Mariæ tanquam matris portio poneretur.* Quòd verò Nicephorus meminit, Mariam Ioannis domo Hierosolymis habitasse, atque ad extremum vsque diem vitam illic suam peregisse, sic accipi potest ex Canisio; vt quemadmodum Matthæus Telonium, sic & Ioannes hoc domicilium dimiserit ante Apostolatum, & tamen vsus domicilij Mariæ obuenerit, quod Ioannis, vt pote prioris possessoris nomine, manserit insignitum.

Niceph. l. 2. hist. Eccles. cap. 3. & libr. 1. cap. 28.

Canisius lib. 5. de Deipara, cap. 1.

*Absit autem, vt credamus*, inquit Beda, lib. Retract. in Acta Apostolorum cap. 8. *Beatum Ioannem Apostolum, cui Dominus in Cruce matrem suam virginem virgini commendauit: post vnum annum recessisse, & eam reliquisse solam. Historiarum enim monumēta produnt, diuinissimum hunc Euāgelistam, post Iesu in Cœlum ascensum, in ea, quæ Hierosolymis ad montem Sion sita erat,* domo

Beda in lib retract. in Act. Apost. cap. 8.

Niceph. lib. 2. hist. Eccl. c. 42.

*domo vixisse, vsque ad illius ad Dominum migrationem. Si verò interdùm absuit, id per modicum tempus fuit; & non nisi à Virgine, habita facultate, quæ æquè tulit, imò Ioanni, vt id faceret, suasit.* Hanc Ephesum secum duxit ab Ascensione Christi, cùm facta est Apostolorum diuisio, vt testantur Patres Concilij Ephesini, & inde Hierosolymam paulò post reduxit: neque enim diu Ephesi in Asia commoratus est: Immò cùm beata Virgo, Iacobo apostolo Cæsaraugustæ preces fundenti, in columna apparuit, in Spiritu quoque ipse venit, vt ex Dextri Chronico habetur, in quo etiã legitur, *quod beata Virgo indiuulso comite Ioanne filio suo, frequentissime sacra loca passionis, & resurrectionis filij inuisit.* Christoph. à Castr. in hist. Deip. c. 20. p. 575 Dexter in Chronico.

Ex verbis Dei Matris tantam consolationem habuit, quod nunquam verbum ex illa audiuit, quin speciale gaudium perceperit. Vnde deuotissima Christi famula Mechtildis, cùm in vigilia Assumptionis dulcissimæ Virginis Mariæ, in oratione posita, beatum Ioannem Euangelistam, cõtra beatam Virginem stantem vidisset, dixissetq. ad eum, per illud munus quod Deo obtulisti, cùm eius genitricis pio amore omnibus caris carere voluisti, rogo vt impe- S. Mechtildis in lib. visionum.

petres, mihi omne charum pro Chriſti amore reſpuere, vt ipſum toto corde valeam diligere: beatus Ioannes reſpondit. *Ego ex verbis Matris Domini mei, tantam conſolationem habebam; quod nunquam verbum ex illa audiui, quin ſpeciale gaudium perciperem.* Idem Domini ſui genitricem in tanta reuerentia, atque honore habuit, quod in terris manens, faciem eius nunquam inſpicere auſus fuit. Quapropter eadem ſancta Mechtildis, in feſto ſancti Ioannis Euangeliſtæ, in miſſa, inter Euangelium, vidit eundem diſcipulum, iuxta altare ſtantem, & librum Sacerdoti tenentem, ad omniaq. verba Euangelij, veluti radios de ore eius procedentes. Vidit etiam beatam Virginem Mariam, ex altera parte altaris ſtantem, & ex oculis ſancti Ioannis radium miri ſplendoris in faciem Virginis tendentem: quod dum illa miraretur, ait illi Ioannes. *Dum eßem in terris, genitricem Domini mei in tanta reuerentia, & honore habui, quod faciem eius numquam inſpicere auſus ſum.*

VVading. tom. 3. annal. Min. — Sacroſanctum corporis Chriſti ſacrificium, coram beata Virgine ſæpiſſimè obtulit, & tanquam proprius Parochus, — Cartag. hom. 2. de mort. Deip. — eidem ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum

tum ministrauit; cuius & actionum testis, & secretorum omnium conscius fuit. Vnde Ildephonsus, serm. 5. de Assumptione: *Si quis*, inquit, *studio pietatis, vel piæ curiositatis affectu indagare voluerit, quid post Ascensionem Domini egerit, quàm sanctè & iustè vixerit beatissima Virgo, cognitum id esse videtur Ioanni, dilecto Domini discipulo, qui ab ipsa cruce eam suscepit in sua sollicitudine, & cura.*

Dionysium Areopagitam ad Deiformẽ præsentiam tantæ matris duxit, vt ipse Dionysius in epistola ad Paulum præceptorem, his verbis testatur: *Cùm à Ioanne, vertice euangelij & Prophetarum, qui in corpore habitans, quasi sol fulget in cœlo, ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me immensus diuinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius, &c.* Ignatium Antiochenum, siue suis litteris, siue sermone aliorum, audita ex ipso referentium, miro erga beatam Virginem amore inflammauit, eiusq. viscera excitauit, & valde coegit desiderare aspectum tam cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.

Dionys. in epistola ad Paulum præcepr.

S. Ign. in ep. ad Ioã. euange.

De obitu suo certior reddita Deipara, tam lætum nuncium illico denunciauit

Christoph. à Castro in hist. Deiparæ cap. 20. Ioanni; quo omnia ad decessum pararet necessaria. Ioannes verò, omnibus fidelibus Hierosolymam degẽtibus, Mariæ obitum statim diuulgans, vt omnes eius, quæ vitæ auctorem mundo ediderat, migrationi interessent, nihil omnino omisit ex ijs, quæ ad tanti excessus mysterium dignè celebrandum necessaria forent.

Refert Simon Metaphrastes, quòd Virgo ad Ioannem aspiciens virginem, cùm pauca cum eo esset locuta, mandauit, vt duabus, quæ ibi aderant Virginibus, quibus cùm iam diu vixerat familiariter, duas tunicas, quibus ad contegendum corpus per vitam vsa fuerat, distribùeret, vt distribuit.

Metaphrastes in orat de vita & dormitiõe Deiparæ.

Nicephor. lib 2. hist. eccl. ca. 21.

Addit Laurentius Maselli lib. 6. cap. 21. beatam Virginem, paulò ante mortem, sacras reliquias, quas apud se conseruabat, ipsi Ioanni reliquisse; vt fasciam Christi, syndonem sepulchri Domini, zonam item cuius meminit Germanus patriarcha, in oratione de zona Virginis. Reliquit etiam velum, quod verecundissimo Virginis cultui, cùm nupsit, deseruiuit, cuius meminit Gabriel Barius lib. 2. de antiquitate Calabriæ. Pectinem, quem deinde Treuirensibus ab Helena Constantini matre donatum,

Laur. Masell. lib. 6. de B. V. c. 21.

Vide Gon. in chron. Deipar. ad annũ Christi 59.

tum,

tum, tradit Iacobus Meddendorpius lib. 5. Academiarum; anulum ſponſalitij beatæ Virginis, quo Semimurenſis apud Mandubios in Burgũdia Prioratus nobilitatur, cuius meminit Genebrardus in chronographia lib. 4. ad annum 868. reliquit etiam coronam ſpineam, & velum, quo ipſa caput operiebat: inſuper capillos, atq; etiam lac vberum ſuorum.

Ex lib. 4. cap. 4. inſinuationum diuinæ pietatis ſanctæ Gertrudis habemus, quòd eadem ſancta Gertrudis in vigilia Aſſumptionis glorioſæ virginis Mariæ, dum deuotioni mentem ſuam aptare ſtuderet, vidit in ſpiritu ipſam beatiſſimam Virginem, tamquam in tranquilliſſimo quodam iubilo ſuauiſſimæ contemplationis, iam agonizare incipientem, quæ amabiliſſimi vultus ſui ſerenitate, ac geſtus amicabilitate, omni ſe gratia plenam demonſtrabat. Vidit etiam beatum Ioãnem euangeliſtam, quaſi ad caput virginis Mariæ, orationi deuotiùs incumbẽtem, à quo etiam mater Domini videbatur quaſi vaporem quemdam mirificum intrahere ſibi. Cùm verò in his ſancta Gertrudis plurimum delectaretur, mirari cœpit, quid per hæc ſignificaretur: vnde edocta eſt à Domino, quòd per hoc,

S. Gertr. inſin. diu. pietat. lib. 4. c. 4.

quòd beata Virgo visa est, de corde Ioannis vaporem trahere, significabatur, quòd regalis Virgo specialem gloriam ex parte beati Ioannis attulerit pro singulis bonis, quibus ipso prouidente, liberiùs potuit vacare in omni vita sua; & cùm Gertrudis inquireret, quem profectum beatus Ioannes ex talibus haberet, respondit: *Quasi tot gradibus affectuum cor meum ipsi est dulciter acclinatũ, quot obsequijs matris meæ virtutibus ipsius sollicitudinem sensi affuisse.*

Sed quo erga diuinam matrem calesceret igne; quove arderet feruore Ioannes; in sermone illo declarauit, quem post Petrũ Christi vicariũ, apostolico corã senatu, in eiusdẽ trãsitu habuisse dicitur in hęc verba.

*Sermo sancti Ioannis apostoli in transitu B. Virginis.*

Amad. in sua apoc. rapt. 8.

*Ego, Patres & fratres mei charissimi, quid de tanta maiestate dicere potero? qui sicut ætate, ita & scientia minor sum omnibus vobis. Ex quo tamen me cum Petro, & Iacobo fratre meo decollato, cuius anima hic nobiscum est (tunc eam omnes viderunt, quam alia vita iam viuentem loqui lingua mortali non decet) Dominus ad fidei suæ splendorem elegit; & vos (in quibus nulla inuidia nunc est, quia in gratia confirmati estis,*

estis, & de bono meo, tamquam de bono communi gaudetis) mihi hunc locum dedistis, à laudibus huius Virginis non cessabo. Est omni laude dignissima; & quamuis in ea sint omnia laude digna, omnia splendida, omnia pulchra, omnia decora; id tamen pro nunc (cœtera vobis relinquens) in ea commendabo, quòd digna fuit esse mater Dei, Genitrix Verbi diuini appellari, & esse. Magnum valde esse puto, seruum Dei vocari; quia qui verè Deo seruit, regnat: sed plus est Dei amicum nuncupari, plus certè filium: sed hæc omnia, nihil sunt respectu huius, quòd est, Matrem Dei appellari, & esse. Ioseph quidem Pater Dei appellatus, sed non fuit, nisi putatiuè. Hæc verò, vera est mater Dei, verum enim Deum concepit, verum Deum peperit; sed in ipsa conceptione Mater facta est Dei, quia non solum hominem purum, vt aliæ matres, sed Deum carni humanæ vnitum genuit, & primo concepit, quamuis ipsa conceptio sit generatio, formata carne illa, & omnibus membris distincta in eodem ictu oculi, & anima creata, & infusa fuit, & diuinitas humanitati vnita, id est, illi rei, quæ homo dicitur, quæ non solùm est anima, vel corpus, sed ex eis est illa res alia. Tu, o genitrix Dei nostri, hæc, quæ ad fratres

*meos Apostolos, discipulos, & has sanctas mulieres, quæ hic sunt, dico, melius nosti. Nosti, inquam, te filio tuo vnico Domino & Saluatori nostro, totam, vt aliæ matres, ministrasse materiam, de qua caro illa pretiosa formaretur, & omnem operationem habuisse, quam & aliæ matres habent in filios suos; & nosti, quòd te operante, & Spiritu sancto superueniente, antequam humanitas illa in se staret, & Verbo Dei, filioq. eius ante sæcula à Patre genito assumpta fuit, vt nõ in seipsa, sed in ipso Verbo staret, & à Verbo sustentaretur. Idcirco verè Dei nostri genitrix, & non alicuius puri hominis mater dici, nominari, & per totum mũdum prædicari pôteris. Multi mirabuntur, quomodo Deus qui semper est, & ab æterno fuit, concipi potuit: & non considerabunt, quomodo vnus homo, alterius filius dici possit, & vnus homo ab alio genitus esse. Ratio admirationis est similis; nam homo per animam est homo, corpus aliquid facit ad esse hominis; sed anima dat principale esse: tamen quia anima illa à Deo creata in eodem instanti, vel in eodem ictu oculi, corpori infunditur, in quo corpus à parentibus plasmatur: ideo hominem totum, & non solùm carnem genuisse parentes dicuntur. Sic & tu, o dignissima Dei nostri*

*geni-*

genitrix, Spiritu ſancto tibi virtutẽ tribuente, tecum concurrente, & modum, vt ſecum talia agere poſſes, præſtante, quia eſſe carneum, & eſſe humanum Deo tribuiſti; verè Deum concepiſti, verè genuiſti, & peperiſti, & educaſti, quòd nomen, & res nominis, valde te, ò Domina, & Regina noſtra dignificat. Dignare tu, ò cœlorum, & Angelorum Regina & Domina, nos omnes, & qui nos in hac confeſſione ſequuntur, adiuuare & ſaluare. Et me, quem in filium, voce de cruce delata, accepiſti, Et ego virtute verborum Chriſti Domini, fideliter te ex tunc in meam accepi matrem, non derelinquas; ſed me filium indignum, qui ſeruus magis tuæ maieſtatis debeo dici, habeas in omnibus aduerſitatibus commendatum; & vt omnes alios hìc exiſtentes, & qui ſequuntur, pro filijs ſaltem adoptionis admittas: rogo, qui tuam credent corde, & ore confitebuntur maieſtatem. ò mater Dei, ò mater Dei, ò mater Dei, conticeo, ſileo, dicere non audeo. ò mater mea, quia, etſi iam te accepi in meam, timeo tamen dicere, meam: tunc enim meipſum facerem Domini Ieſu filij tui omnino veri Dei, fratrẽq. ipſius Dei: mater tamen etiam mea es, peculiari modo, non tamen illo modo, quo & mater filij Dei;

*nec illo modo, quo es mater omnium hominum; sed quodam medio modo: sum enim filius tuus magis quàm alij; sum longè minus quàm ille, quem cuncti colimus, veneramur, & adoramus.* Hæc Ioannes, cuius & Deiparæ morituræ extremum sermonem, talem fuisse autumat Iacobus Pontanus.

Iac. Pont. lib. 2. florid. de Virgine matre.

M. *Fili Ioannes, omnium charissime,*
*Quem de cruce olim traditũ voluit mihi*
*Tuus magister, filius & idem meus,*
*Quo sim statu aspicis, dies suprema me*
*Hinc me, & artus relinquunt spiritum.*

I. *Maria mater, mater ò dulcissima,*
*Quam de cruce olim traditã voluit mihi*
*Meus magister, filius & idem tuus:*
*Inire te mortis equidem cerno vias,*
*Ob idq. summis differor doloribus.*

M. *Quin imperas doloribus, homo nata sum*
*Mortalis ex mortalibus, fui hactenus*
*In carcere, at nunc euolo è custodia.*
*Vale memor mei, Vale charum caput.*

I. *Pœnas luant, qui digna pœnis factitant,*
*Peccantibus statuta mors tantummodo.*
*Sed sic Deo visum. Vale, ò mater mea,*
*Mq. nè fueris apud Deum immemor.*

Ama-

Amadæus autẽ Angelo reuelãte didicit, Deiparam poſt impertitam Ioanni benedictionem, his eum dulciſsimis, atque omninò aureis verbis affatam: *Vale Ioannes fili mi, annuntia diuinitatem Chriſti, & prophetabis ante translationem, & poſtea.*

Amad. ...

Nec Virgine è terris erepta, atque in cœlum recepta, filialis in eam Ioãnis amor intepuit, quin immò magis magisque incaluit, ac in nouas quotidiè; maioresque flammas erupit. Huic templa ſtruxit, hanc ſcriptis celebrauit, huius nomen, laudesque ſua per orbem prædicatione extulit. Et quidem quod ædem, quin ædes Virgini matri donarit, non temere conijcit Locrius lib. 4. Mariæ Auguſtæ cap. 4. dum ita ratiocinatur: *Qui officio, obſequioq. Domini pares, non etiam perſtent Dominæ? A Petro, à Iacobo templa habet; igitur & à Ioanne, atque vt magis credam ex eo etiam adducor, quòd teſtibus Cõcilij Epheſini ad Clerum Conſtantinopolitanum Patribus, Virgo comitem ſe, Epheſum vſque, Apoſtolo dederit, vti ab eo poſita templa, præſentia ſua, atque auctoritate conſecraret. An matris obliuio* υἱόθετον *ſeu adoptiuum filium tunc cœpit? non voluit? non fecit? Quòd ſi (teſte Abdia in Apoſtoli vita) ſuper-*

Petrus Lo... Locrius ... Maria ... gusta ...

*sti. i*

*stiti adhuc, sibi Basilicas inscribi non prohibuit, credendum non magis, id tituli & honoris Deiparæ voluisse? fecisse? voluit, fecit, vel adstipulante Canisio.* Sic ille.

Quòd verò in sua apocalypsi, beatissimam Virginem Dei matrem, à se singulariter adamatam minimè prætermiserit, sed multis eam symbolis indicauerit, sentit, inter alios, & probat Spinellus, in Throno Deiparæ cap. 1. *Neque enim*, inquit, *verisimile videtur, à beato Ioanne, qui tam multa cælestis aulæ, tamquam præclara spectacula fuit diligenter prosequutus, solam Virginem fuisse præteritam, & eam Virginem, quam secundum Deum, nihil in Cælo, nihil in terra habetur illustrius, & in quam ipse Virgo scriptor egregius singulari pietatis, & obseruantiæ studio ferebatur.* Sic Spinellus, cui fauet Albertus Magnus in Biblia Mariæ, dum ea, quæ in Apocalipsi Ioannis continentur, Beatissimæ Deiparenti Mariæ, pulchrè, & breuiter adaptans ait. *Beatissima Virgo Maria secundum Ioannem in Apocalypsi, dicitur, sedes filij Dei: Apocal. 4. Vidi & ecce sedes scilicet Maria, posita erat in Cælo, id est, in Ecclesia. hæc sedes vocatur totius nobilitatis, quia solus Deus sedit in ea, vnde supra sedem sedens,*

Spinell. in throno Deiparæ ca. 1.

Alb. magn. in Bibl. Mar

*sedens, id est, Deus, & homo. Item hæc sedes, vocatur sedes totius propitiationis; vnde Iris erat in circuitu sedis, idest, pax & propitiatio, quæ est in circuitu protegens. Ipsa est sedes comminationis; vnde dicitur, Et de sede & throno procedebant fulgura comminationis, & voces admonitionis, & tonitrua summæ placationis. Ipsa est sedes totius pulchritudinis; vnde & septem lampades ardentes ante thronum, idest, septem dona Spiritus sancti, quibus ipsa, præ cunctis mortalibus, illuminata fuit. Hæc est thronus, de quo Apocalypsis 7. dicitur: Vidi turbam magnam, &c. sequitur, Stantem ante thronum Dei, vt aspiciantur: & clamabant voce magna, in præsenti, & in futuro maximè, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum. Item ipsa est Altare oblationis, Apocalyp. 9. Audiui vocem vnam, idest, Mariam, de quatuor cornibus altaris aurei, super quod quidquid offertur, accipitur, quod est ante oculos Dei: quatuor cornua sunt hæc, misericordia, humilitas, benignitas, & largitas. Item, ipsa est Regina, duodecim prærogatiuis coronata, Apocalyp. 12. Signum magnum apparuit in cœlo, idest, in Ecclesia, Mulier amicta sole, idest, Maria Christo, quia induit Christum, qui eam illuminat; &*

*Luna*

*Luna sub pedibus eius, id est, omnia terrena; & in capite eius corona Stellarum duodecim id est, duodecim prærogatiuarum, seu priuilegiorum, quibus coronatur.* Hactenus Albertus.

Nec in suo Mariam Euangelio siluit; sed in eo multa de ipsa præclara conscripsit, ab alijs Euangelistis prætermissa. Cap. enim secundo egit de Maria in Canæ Galileæ nuptijs cõuersionem aquæ in vinum à filio postulante; & cap. 19. de eadem pendenti in Cruce filio, constanti corde, ac virili prorsus animo adstante. Idem *quicquid est, quod Maria genuit*, vt Hieronymi vtar verbis, *euangelizando, suo commendauit eloquio. In principio.* inquit, *erat verbum, & verbum erat apud Deum; & Deus erat verbum. Hoc quippe verbum, quod erat in principio, & apud Deum erat, ipsum genuit Beata, & gloriosa Virgo Maria, ex seipsa carnem factum.*

D. Hier. in serm. de Assumpt.

Refert Iacobus Archiepiscopus Genuensis, in libro Annuarum festiuitatum, se incidisse in volumen quoddam Apocryphum, cui titulus, De transitu sanctæ Mariæ, Diuo Ioanni Euangelistæ adscriptum, in quo scriptum erat; Mariam Virginem anno vigesimo quarto ab Ascensione filij sui

Iacob. Genuen.

ſui, ex hac vita migraſſe,& omnes Apoſtolos, in momento temporis per aera raptos morienti adfuiſſe, atque cadauer publico funere, & ſolemnibus exequijs elatum, lapideo monumento condidiſſe, eamque poſt diem tertium reuixiſſe, & integro corpore, deducentibus Angelis in Cœlum euolaſſe. Thomam verò, cum abſuiſſet, & rediens credere recuſaret, zonam, qua corpus Virginis præcinctum erat, è ſublimi demiſſam accepiſſe, reſurrectionis, & corporeæ in Cælum aſſumptionis, argumentum. Verùm huius operis inſcriptionem, auctoritatemque refellit Magnus Pater Auguſtinus ſermone 35. de ſanctis, & ex eo Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ ſanctę ſ. Marię tranſitus, vt in Bibliotheca noſtra Mariana innuimus.

Porrò, quòd Mariæ nomen, laudesque ſua per orbem prædicatione extulerit Ioānes, teſtatur inter alios, vir eruditione eximius Melchior Incofer, in coniectatione Epiſtolæ Beatæ Virginis ad Meſſanenſes cap. 2. vbi probans Apoſtolos, inuecta in Prouincias Chriſti prædicatione, nomini quoque Deiparæ Virginis, atque cultui ſtuduiſſe, de eodem ſic fatur. *De Ioanne, quem Ieſus diligebat, nemo dubitabit, ſi*

Incofer in. Epiſt. ad Meſſanes. cap. 2.

*cogi-*

*cogitet, transfusa in eum à filio matris cura, illud etiam recepisse, vt quemadmodum testimonium de filio, sic etiam perhiberet de Matre; & scimus, quia verum est testimonium eius, quippe vel dulcis illa appellatio, qua satagentis in nuptijs Canæ Virginis mentionem inducit, & erat mater Iesu ibi, amplam ei præbuit Theologicæ perorationis materiam. Si præsertim similis Aquilæ, in subliniora Solis aciem defigenti, quo pacto ex hac Matre Verbum caro factum est, explicaret: quod dubio procul fieri oportuit, non in Asiatica solum peregrinatione, sed vbicunque de Verbo Incarnato, atque adeò semper è genio Ioannis verba facere necesse esset; idque eò putes ardentius, quò præ ceteris, vt sermone 6. de Assumptione Ildephonsus ait, Mariam coleret, ac venerare tur*. Hæc Incofer.

Ildeph. serm. 6. de Assump.

Nec silentio premam, quod in Stellario Coronæ Beatæ Virginis lib. 3. part. 3. art. 2. narrat Author fide dignus, & à nota falsitatis alienus, Pelbartus Themesuuar. *Legitur*, inquit ille, *in quibusdam reuelationibus, & memini legisse me, idipsum excerptum fore ex libro Reuelationum Sanctæ Elizabeth, videlicet, quod post Assumptionem Beatæ Mariæ, Sanctus Ioannes Apostolus, cùm*

Pelbart. in Stellar. B. V. lib. 3. p. 3. art. 2.

*cùm esset anxius, ex deuotionis feruore, B. Mariam in gloria cœlesti videre; raptus in spiritu vice quadam; vidit in spiritu Dominum Iesum cum gloriosa sua Matre. Audiuit quoque quòd ipsa B. Virgo loquebatur suo filio Domino Iesu, de doloribus, quos Christus pertulit in Cruce, & de compassione, quam ipsa mater pro tunc sustinuit, & quomodo hic Apostolus Ioannes pro tunc adfuit. Petiuit quoque Beata Maria filium, vt specialem gratiam donare dignaretur omnibus, qui huius memoriam agerent deuotè: & mox Dominus Iesus promisit talibus quatuor præcipua dona gratiarum. Primo quod qui Beatam Mariam per dictos dolores inuocaret, veram pœnitentiam de omnibus peccatis agere mereretur ante mortem. Secundo quòd tales in aduersis custodit, præcipuè in morte. Tertio quòd memoriam passionis imprimit mentibus eorum, & in Cœlo premium præstat. Quarto quod talem concederet potestatem Beatæ Mariæ, vt quicquid vellet, cum eo homine faceret, atque omnia optata sibi impetraret ad salutem.* Sic ille.

Obijt Ioannes, eo prorsus, quo Dei genitrix modo, id est, non morbo, non sensu doloris, non corporis cruciamento, non hor- Niceph. l. 2. cap. 35.

horribili agitatione membrorum: sed quasi qui suaui ac dulci somno correptus medijs in laboribus obdormit. *Dei autem ineffabilis, atque inuestigabilis gloria*, vt inquit Nicephorus, *ea, quam ipse solus nouit hora, illucescens, corpus eius terrenum, & corruptibile, in immortale, & in incorruptibile trasmutauit, & in diuinnm paradisum itidem vt omnibus laudibus celebrandam Dei genitricem, quæ per gratiam mater eius fuit, recipit. Decebat quippe & ipsum, qui matris loco, incorruptam semperque Virginem habuisset, & dilectus in primis mirificè Christo fuisset, fraterque adeò immortalitatis promptuarij extitisset, paulatim quodam modo immortalitatis participem fieri.*

Nec mirari quispiam debet, si pro cultu, quem in terris positus, Dei genitrici exhibuit, speciali gloria perfruatur in cœlis: nam, vt inquit Pelbertus in Stellario lib. 12 part. 1. art. 3. *B. Maria remunerat in Cælo sibi seruientes speciali ornatu, & gloria, qua præ alijs discernuntur, quòd sunt eius serui. Sicut enim videmus in Regia Curia, quòd serui Reginæ certis notabilibus Clenodijs deauratis ornati procedunt; per quæ Reginæ serui esse cognoscuntur, & speciali purpura vestiti ambulant; ita in Curia cæle-*

Pelbert. loc. cit. lib. 12. p. 1. art. 3.

sti

*sti, serui Mariæ speciali gloria refulgent.* Vnde Beata Virgo Gertrudis, die quadam in aduentu, Domini vidit Sanctum Ioannem Euangelistam, habentem duo aurea lilia, vnum in dextro, & vnum in sinistro humero, eratque in dextro mirabili sculptura scriptum, *Discipulus, quem diligebat Iesus:* in sinistro verò, *Iste custos Virginis, ob insigne istorum priuilegiorum specialium, quo ipse solus, præ cæteris Apostolis, Discipulus, quem diligebat Iesus, nominari, & esse meruit: & quòd ipse etiam Dominus candidum illud lilium, hoc est, Matrem suam Virgineam, in Cruce moriturus commendandum dignum censuit.* In festo verò eiusdem Apostoli, inter matutinas, dum cantaretur. *Mulier ecce filius tuus,* vidit de corde Dei mirificum quemdam splendorem, procedentem super Beatum Ioannem, qui omnium sanctorum intuitum, cum reuerenda admiratione in ipsum prouocabat. Visa est etiam Beata Virgo, speciali alacritate blandiri ipsi, cum ipsa nominaretur Mater ipsius, vnde etiam ipse præelectus Discipulus, speciali blanditate dulcioris affectus ipsam resalutabat.

S. Geltrud. lib. 4. Insinuat. diuinæ pietati cap. 4.

Quid verò tam pia mater, potest tam dulci filio denegare? Refert Thomas Can-

Tho. Cãtip lib. 2. Apum cap. 53.

tipratanus lib. 2. Apum cap. 53. num. 12. quòd quidam Canonicus Cameracensis Ecclesiæ, qui se in religioso Cantipratensi Cœnobio, ad ordinem trãstulit regularem, cùm Beatissimum Apostolum, & Euangelistam Ioannem, in vita feruentissimè dilexisset, post mortem illius, cuidam Concanonico eius, in visione visum est, apparitionem huiusmodi se videre. *Accessit idem Apostolus ad gloriosam Virginem Matrem Christi, rogans eam suppliciter, & sic dicens: Ecce anima amici nostri torquetur in pœnis, venias obsecro, & liberes eam: quia etsi in vita perfectè non vixit, tamen vitam suam pro magna parte correxit. Nec mora, annuit Virgo Virgini, & ad purgatorium descendentes, animam liberatam adducunt, & secum transferunt ad superna.*

S. Birgit. lib. 4. Reuel. cap. 23.

Refert quoque sancta Birgitta lib. 4. suarum Reuelationum, cap. 23. quòd cùm sanctus Ioannes euangelista dixisset quondam Dei matri: *Audi tu Virgo, & Mater vnius filij, non plurimum, mater vnigeniti filij Dei, plasmatoris, & Redemptoris omnium: audi inquam, sicut & audis, quantum iste (erat hic sacerdos iniquus, & hypocrita) delusus est à diabolo, quantum laborat, vt obtineat impossibile, quantum in-*

*informatus est, & quantis rebus à spiritu mendacij; quantum etiam elongat se à Deo, in specie ouina, & corde leonino. Ego docui, quòd tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, & in terra, Pater & Filius & Spiritus sanctus: isti verò testimonium perhibet spiritus malignus, quòd totus factus est simulatoriè sanctus, quem Pater non fortificat potentia sua; filius non visitat sapientia sua; Spiritus sanctus non inflammat charitate sua. Nec mirum, aspirat enim ad potentiam, contra potentiam Patris; vult esse sapiens, contra sapientiam filij; habet inflammationem, sed aliter, quàm sicut inflammat Spiritus sanctus. Ideò roga filium tuum, vt aut citius subtrahatur, ne perdantur plures; aut humilietur celerius pro errato.* Respondit Mater; *Audi tu Virgo, sed tamen virilis, non fæminea persona tu es, quem Deo placuit vocare cum leuissima morte de mundo propinquius mihi. Ego enim quasi obdormiui in separatione animæ & corporis, & euigilaui in gaudio perpetuo: nec mirum. Ego quippe præ cæteris amarius in morte filij mei dolui, & ideò placuit Deo, me de mundo cum morte leuissima separare. Tu verò inter Apostolos, vicinius mihi appropinquasti,*

*sti, maioraque signa dilectionis expertus es præ aliis, & amarior tibi passio filij mei facta est, quam præ cæteris clarius aspexisti: & quia præ cæteris fratribus tuis longius vixisti, quasi in ipsorum omnium martirio, Martir fuisti: ideò placuit Deo vocare te de mundo, morte leuissima post me, quia Virgo Virgini fui commendata: ideò fiet quod petisti, & non prolongabitur*. Sic Ioanni suo suauissima Iesu Mater: cum quo & frequenter mortalibus apparuit, eoque Theologo vsa est, in sacræ fidei cum ijsdem mortalibus magisterio. Id quod exemplo manifestum euadet. Cùm sanctus Gregorius Episcopus Neocæsariensis, qui doctrina & sanctitate illustris, propter signa, atque miracula, quæ cum multa Ecclesiarum gloria perpetrauit, Thaumaturgus est appellatus, aliquando per totam noctem, de ratione atque sermone fidei specularetur, variasque secum cogitationes agitaret (erant enim, & tunc aliqui, qui piam religionis doctrinã adulterarẽt per probabiles argumẽtationes, sæpè etiam intelligentibus, ac doctis, veritatem ambiguam reddentes) ei vigilanti, & sollicite noctem agenti, sacræ fidei magistra Dei nostri mater apparuit. Et quamuis appa-

Vid. S. Gregor. Nyss. in vita S. Greg. Thaumat. & Io. Bonif. in hist. virg. lib. cap. 4.

apparentis Deiparæ, muliebris & figura esset & facies, tamen multò excellentior, multoque augustior visa est, quàm vt eius aspectum ferre posset humana cōditio: nam ex ore Virgineo tantus splendor emicuit, vt luci illi, luminique, Cregorius impar esset, atque impos virium ad tantam maiestatem in illa mortalitate contuendam. Aderat Euangelista Ioannes suæ matris & Dominæ comes, & assecla, qui Mariæ Reginæ cœlestis admonitu, res arcanas atque retrusas, sacræ fidei vera dogmata, Trinitatisque mysteria Gregorio, nouo Episcopo, nouoque Doctori luculenter explanauit. Idque eò libentius, quò se Virgini fore putabat, magisterio illo gratiorem; vt minimè mirum sit, qui tam felix in adolescentia fuisset, Dei matrem vidisset, Ioannem Euangelistam Theologiæ interpretem, & Doctorem habuisset, eum, corrobata iam ætate, Thaumaturgum, idest, rerum maximarum, & admirabilium effectorem euasisse. Quæ verò didicit à Diuo Ioanne Gregorius, haud tacita in pectore tenuit; sed litteris librisq. mandauit, doctrinæque acceptæ diuinitùs hæreditatem transmisit ad posteros: eò namque Beatæ Virginis spectabat ad-

 uen-

uentus,quę pręſens per chariſſimũ Chriſti diſcipulũ, cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia,Gregoriũ erudire voluit;deq.Deo trino,& vno,rectam nouo cõcionatori indicare ſententiã,vt alios ipſe,difficillimo Eccleſiæ tempore,poſſet inſtruere,& acceptã diuinæ Palladis beneficio lucẽ Chriſtianus Prometheus,hominibus in cæca errorum caligine demerſis, amãtiſſimè diſpertiret. Myſticę autẽ illius doctrinę,ac diſciplinæ, quam Ioannes Gregorio, Deipara monẽte, tradidit, verba hæc ſunt: *Vnus Deus, Pater Verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ ac figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater filij vnigeniti, vnus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, character & imago Deitatis, verbum efficax, ſapientia conſtitutionis rerũ vniuerſarum cõprehenſiua, & virtus atq; potentia vniuerſæ creaturæ effectiua; filius verus veri Patris, inuiſibilis eius, qui eſt inuiſibilis, & incorruptibilis, corruptioni non obnoxÿ; & immortalis mortis planè neſcij, & æternus æterni. Vnus Spiritus ſanctus ex Deo exiſtentiã habens, quique per filium apparuit, ſcilicet hominibus, imago filij perfecti perfecta; vita, viuẽtium cauſa; fons ſanctus; ſanctitas, ſanctificationis ſuppeditator; in quo manifeſtatur*

*tur*

*tur Deus Pater, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus, & Deus filius qui per omnia, Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate, & regno non diuiditur, neque abalienatur; non igitur creatum quid, aut ſeruum in Trinitate eſt, neque aduentitium: vt quòd prius quidem non eſſet, poſterius autẽ introductum ſit: non ergo defuit vnquàm filius Patri, neque filio Spiritus; ſed immutabilis, & inuariabilis eadem ſemper manet Trinitas.*

Cupit aut Ioannes ab omnibus honorari eam, quam ipſe, dum vixit, impenſiſſimè amauit: & nunc quoque in Cœlo degens, filiali proſequitur ſtudio, & non ſecus de illius gloria & ſplendore, quàm de Matris cuiuſdam amantiſſimæ honore ſollicitus eſt, vt cum ſancto Edmundo Cantuarienſi Epiſcopo declarauit. Cùm etenim in morem perpetuum induxiſſet Edmundus; precationem illã, quæ incipit, *O intemerata:* in Mariæ Virginis, ſanctique Ioannis Euangeliſtæ memoriam, diebus ſingulis ricitare; aliquando ſtudiorum impetu abreptus, quotidianæ huius precationis oblitus eſt: nocte verò inſequenti, Diuus Ioannes ſe illi demonſtrauit, manumque iuſſit explicare, quam iam erat ferula percuſſurus, vt à ludima-

Vid. Chryſ. Henriq. in faſc. S. Or. Ciſterc.

Io. Boniſ. lib. 2. hiſt. Virg. ca. 8.

Carthagl de Mirand. Deip. exẽ. 60.

gistris fieri solet, si quãdo discipuli imprudenter egerunt; mox tamen placatus, dextram traxit Apostolus, quam ad vulnus infligendum, quasi commotus extenderat, amiceq. monuit, ne vnquam virgini Matri, sibiq. acceptas illas preces omitteret. Certè inter omnes filios, quos Deipara Virgo spiritualiter Christo peperit, sicut nullus Ioanne euangelista charior, vt pote ab ipso Iesu, in pignus amoris sui in ligno pendente ei donatus; ita nullus illo obsequentior, & in famulando Virgini diligentior fuit. *Quare vt debitè Virgini seruiamus*, inquit, celeberrimi & magni nominis auctor, Ioannes de Carthagena hom. 3. de cultu, & deuotione erga beatã Virginem, *meritò illum in viuum exemplar ad imitãdum, nobis proponere deberemus. In eo tamen præsertim, vt absq; vlla interposita mora, incunctãter incipiamus Virgini deuotè famulari. Sicut enim S. Ioãnes, vbi à Chisto è cruce suspenso audiuit: Ecce Mater tua, affectu filiali erga tantam parentem accẽsus, ex illa hora accepit eã in sua: ita & nos, filiali amore virginem prosequentes, nulla interposita mora, Ioannis exemplo admoniti, eam in propria cordis penetralia, singulari pietate, amore, & deuotione recipiamus.*

Carthag. hom. 3. de cultu Deip

DE

# DE SINGVLARI Sancti Thomæ apostoli, in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT VII.

THOMAS apostolus, qui & Dydimus, natione Galilæus: quanta erga sanctissimam Dei parentem pietate, atque obseruantia viguerit; quàmq. altè de eius præstantia, ac dignitate senserit, aureus ille, inter cætera, testatur sermo, quem ipse de diuina eiusdem sanctissimæ Deiparentis prædestinatione, coram Apostolis ad virginale funus congregatis, summa cum omnium audientiũ laude, perorasse narratur. Libet eius exẽplar, ex Amadæo expromptum, ad legentium vtilitatem, voluptatemq. proponere. Amad. in sua Apocal rapt. 8.

*Sermo sancti Thomæ apostoli, in transitu beatæ Mariæ virginis.*

*Abyssus abyssum inuocat. Petrus noster princeps, propter humilitatem exaltatus, de humilitate multa dixit; Ioannes filius de materni*

*ternitate; Andreas virilis, Dei virtute, Mariam Reginam nostram, ab omni labe præseruatam proclamauit; & decurrens, illius pulchritudinem summam post Deum ostendit: Simon verò iuxta nominis sui interpretationem, de obedientia, & de Cruce, atque morte, & compassione plura dixit. Ego quoque alludam nomini meo. Abyßum enim me vocatis, & ideo de Abysso diuinæ prædestinationis, qua Genitricem suam Deus super omnes elegit, & præelegit, quædam afferam coram vobis. Mirantur homines, & adbuc mirabuntur; cur Deus ipsam Mariam potiùs elegit in Matrem, & ad tantam beatitudinem præordinauit, quam aliam quamcumque mulierem, aut creaturam; & non cogitant, quod si aliam filiam Adæ, in Genitricem elegisset, eadem admiratio de illa quoque fuißet. vnam namque oportebat esse; vnius munus illud erat perfectissimum; & anima, & corpore illam, & in naturalibus, atque accidentalibus optimè dispositam eße decebat. Congruebat quoque, vt quemadmodum homo ille à Deo assumptus, plenus fuit, & est, & erit omnis gratiæ & virtutis, & eßet super omnes creaturas; ita post ipsum genitrix sua superaret omnes in gratia, & beatitudine. Donum*

*enim*

*enim maternitatis, consequitur donum beatitudinis. Et sicut Deus Pater, Deo Filio suo vnico Domino nostro Iesu Christo, primò voluit beatitudinem, deinde merita; & hoc ratione assumptionis humanitatis; sic tali tantæq. Virgini, primò voluit beatitudinem, deinde merita; de qua Virgine verbum æternum, voluit ab æterno in tali & pro tali tempore carnem aßumere. Generatio autem filij à Patre æterna est; qua scilicet Deus filius exiuit à Deo Patre ab æterno, & ab vtroque est processiò Spiritus sancti, quam tamen filius à Patre accepit, & illa quoque processio est æterna, & ad æternum terminum; æterna est etiam Dei cognitio omnium creaturarum in tribus personis, scilicet in Patre, filio, & Spiritu sancto, similis cogitatio existens ad omnes creaturas terminatur. Volitio præterea in tribus ipsis vnica existens, in initio ad ipsos duos, scilicet ad filium, & Matrem terminata est: præcipuè enim, & super omnes alios voluit Deus hominem illum, cuius humanitas copularetur diuinitati, deificaturum, & eius Matrem. In initio itaque viarum suarum Deus, antequam quicquam faceret à principio, imò & antequàm facere disponeret, quodam modo loquen-*

*loquendi ( quia hæc omnia ſunt æterna, tamen quemdam ordinem in ſe tenent ) voluit humanitatem illam plenam gratia, plenamque beatitudine aſſumere, ita vt ipſam ſic aſſumptam, ſimul & beatam faceret, & genitrici ſuæ poſt ipſam gratiam præſtare. O Maria quam felix es & quam fortunata, quæ & initio, & ante ſæcula, & in initio viarum Dei ab ipſo electa fuiſti, & Adæ peccato præuiſo, non fuiſti cum omnibus alijs condemnata: Sed voluit Deus, vt merita filij tui, tibi ſuper omnes prodeſſent, teque pro minimo momento, noluit inimicam, ſed ſemper pro chariſſima amica. Alios autem omnes ſanctos cum conditione beatos facere voluit, ſcilicet ſi mandata eius ſeruarent. Verum eſt tamen, quod & alios plures, antequàm quicquam boni, vel mali agerent, elegit, vocauit, & ſanctificauit; ſed cur non omnes ita ſanctificauit? Hic eſt altitudo; profunditas, & abyſſus ſcientiæ & ſapientiæ Dei: aliquos enim in principio, & ab æterno prædeſtinauit, & omnino ſanctificauit; vt nullo modo damnarentur: & aliquos reliquit in manu conſilij ſui, vſque ad extremum vitæ diem, & quales eos ibi vidit, tales ab æterno & in æternum iudicauit. Nullus tamen eſt ex filijs Adæ,*

*quem*

*quem aliquando non habuerit pro inimico Deus, preter te, ò Virgo Maria. Nullum punit, nisi peccatis præcedentibus; multos præmio æterno ipse dignos facit, nulli debitor est: punire etiam nullo crimine præcedente posset, sed nunquam, sine crimine proprio creaturæ, eam punit: neque propter peccatum Adæ solum, quemquam vllo supplicio, vel pœna in alia vita afficit, aut dolore, seu quauis tristitia plectit, sed solùm beatitudine supernaturali priuat: sic tamen, quòd & si tales habent damnum, nunquàm tamen tristantur de tali damno, sed sunt sua sorte contenti, ignorantes talem priuationem eis accidiße, nec de illa dolentes. Magnus est Dominus Deus noster; & iudicia, ò Deus, abyßus multa. Te adiuuante, te patrocinium afferente, ò Maria, plurimi saluabuntur; obstinati in malo, & in peccatis damnabuntur, quorum pœna ideò æterna est, quia & vtilia, sempiterna sunt. De hac Abysso plurima dicere possem, quia verè Abyssus abyßum, & difficultas difficultatem inuocat. Sed satis est dixisse de præcipua, & prima super omnes alias creaturas electione Mariæ Dominæ nostræ, & de bonitate Dei, quæ tantum, tamque magnum bonum contulit creaturæ suæ, sua-*

Pro hac re vide Mart. de Ro. Soc. Iesu de stat. puerorum in Limbo. l. 3 c 20.

*mera*

*mera bonitate, benignitate, clementia, nihil inde sperans accipere, quia bonorum nostrorum non indiget. Est enim sibi in seipso, bonum sufficientissimum. Satis etiam est ostendisse, quòd nulli iniuriam facit; quia & nulli debitor est, & nullum affligit æternaliter, propter peccatum alterius, & vnumquemque beatificare, quantum in se ipso est, non postponit: & quòd soli obstinati in peccatis damnantur. Sperandum est igitur in Deo, & omnia nostra ei committenda, quod tu, ò Dei genitrix Maria, nos facere docuisti. Nos igitur adiuuabis, tuoq. filio commendabis; vt & nos post te, in odorem vnguentorum ipsius occurrere valeamus.* Sic apostolus Thomas; quem pientissima Dei mater virgo Maria ab hominibus demigrans (vt ex Angelica reuelatione didicit vir iam mihi sæpè commendatus, beatus Amadeus) his verbis allocuta est: *Vale Thomas sancte, & prudẽs Dydime, & meum Cinctorium, quod tibi ascendens porrigam, suscipe; & gentem vtriusque Indiæ in aqua & igne baptiza. Cùm verò in anima, & corpore glorificata, cælesti proxima esset ascensui, Thomas non dubius tunc, sed fidelis, ad eam elamauit dicens. Tu ad felicia regna, ò Mater Dei progre-*

deris

*deris, relinque aliquid pro ſigno amoris tui fidelibus. Maria verò, annulum meum dixit, quò me deſponſauit Ioſeph vir meus, cum omnibus veſtimentis meis, & partem capillorum, ob deuotionem fidelium reliqui Magdalenæ. De lactè etiam, quo Deum nutriui, & de ſanguine filij mei, quem pariter collegimus, & præputium, id eſt pelliculam circunciſam. Et tu Thoma, accipe Cinctorium renum meorum. Ecce illud mecum ex induſtria detuli, vt tu, qui dubius vocabaris, fidem Domini, plus alijs credens, vſque ad ſuperiorem Indiam amplies, & augmentes. Et aſcendente illo in montem Olíueti, Maria ſuis proprijs manibus cingulum porrexit Thomæ, & dimiſit ei, pleno gaudio, & gratiarum actione.* Sic Amadeus.

Sunt tamen, qui aſſerant, Thomam Beatæ Virginis funeri abfuiſſe, & poſt tres dies veniſſe, cumque corpus illud, quòd Deum ſuſceperat, ipſe quoque adorare voluiſſet, loculum aperuerunt; ſed intemeratum quidem, & omni ex parte laudandum corpus, nequaquam inuenire potuerunt. Audiamus inter alios Nicephorum lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 23. vbi ex Iuuenali Patriarcha Hieroſolymitano

Niceph. lib. 2. cap. 23.

tano, rem hanc, in hæc verba describit. *Iuuenalis, inquit, Hierosolymorum Episcopus, magnus sanè, diuinòque afflatus numine vir, ex vetusta traditione, rem hanc sic gestam scriptis suis cum fide confirmat: dicit enim totum triduum, Apostolos ad monumentum id, diuinorum hymnorum carmina audientes perseuerasse. Accidit autem rursum, vt Thomas ab eis abesset, videlicet vt nota, perspectaq. Diuæ genitricis fieret Assumptio, itidem vt antea filij eius, pro eo atquè decebat, post diem tertium resurrectio: ingenti afficiebatur dolore, neque quieto animo esse poterat Thomas: quippe qui tanti boni non fuisset particeps. Sacer autem ille Chorus, iniquum esse iudicans, si ille quoque diuinum Virginis Matris corpus non spectaret, atque complecteretur, aperiri monumentum iubet, quod quidem vbi ita est factum, desideratum illud corpus non comparuit; sepulchralia tantum lintea ritè composita loco suo manebant, itidem vt filij quoque eius, in sepulchro relicta. Quæ & ipse, & qui cum eo aderant, cum veneratione exosculati, incredibilique voluptate, odorisque suauitate repleti, sepulchrum quidem ad pristinum conformant modum, miraculum autem ipsum, quasi per manus*

*subin-*

*ſubinde poſteris traditum ad nos quoque transmiſerunt*. Hactenus Nicephorus.

Sed in hac re, liberum cuique opinandi relinquens locum, Amadeo meam libentiùs adſtringo fidem. Refert vir doctus, & pietate, & doctrina clariſſimus Bartholomęus Piſanus lib. 5. de laudibus Virginis fructu 8. quòd tradito Beatæ Virginis corpore ſepulturæ, circa ſepulchrum ſancti Apoſtoli, Chriſti mandato, ſtantes; quia laudibus diuinis præoccupabantur, de ipſa glorioſa Dei genitrice Maria, ad populum, & ad ſeipſos, ipſi cæleſtes Cicadæ incœperunt ſermonem habere: ac quilibet pro poſſe (vt dicit Dionyſius, qui interfuit) ipſam laudare & magnifacere conati ſunt. Cumq. ſecundùm varias virtutes, quas viderant, & imitatione hauſerant à Maria, ſecundùm hoc ſuum vnuſquiſque ſermones exordiretur; Thomas ſanctiſſimæ Dei genitricis fidem integram luculento ſermone commendauit. Neque hoc tantùm, ſed ad Indos ſe conferens, ad eos cum auguſtiſſimo Mariæ nomine, eius quoque ſacroſanctam imaginem deportauit, ipſiq. illa accepta refertur, quæ Virginis humiliter ſedentis, gremioq. puerum fouentis oſtentat ſpeciem, Indicæ genti ad

Barth. Piſ. lib. 5. de laudib. Virg. fruct. 8.


idololatriam deuolutæ, non magis antiquitate, quàm vano ritu religiosa, vt Annales Indici testantur. Quis autem credat in tot templis, quæ gentilium superstitione deiecta, ad veri Dei cultum, in vastissimo Indiæ tractu ædificauit, sanctissimam Deigenitricem Mariam, quam vnicè amabat, quàmq. in charioribus habebat delicijs, ex eius ità memoria dilapsam, vt nullum ipsius nomini tēplum excitarit? Credat, qui volet. Ego etenim, vt fidem adhibeam, non adeò facilè possum adduci, Thomam presertim Apostolorum Principis exēplo stimulante. Adde quòd Cranganorem in India Vrbem appellens, insigne ibi, in Deiparæ honorem iam erectum adinuenit templum, quod ad simile præstandum, ei non læue esse potuit excitamētum. Narrat enim Hieronymus Osorius, Algabriensis Episcopus lib. 1. de rebus gestis Emmanuelis Regis Lusitaniæ, Cranganorem in India Regem, vnum è tribus fuisse, qui post adoratum in carne Dei filium, anno demum tertio reuersus in regnum, Aedem Virgini matri pro dignitate sacrauit, ac imaginem affabrè pictam, quæ Virginis speciem ferret, natum vlnis complexæ, in eadem cellocauit, legemq. tulit pie-

Annales Indici. Vide Incofer in Epist. B. M. Virginis ad Messanenses cap. 57.

tati suæ parem, quoties in templo Mariæ nomen ab Aedituis foret inclamatum, toties vniuersi, qui præsentes inaudìuissent; humi sese plusquàm cernui demitterent. Cuius pietatis non nemo cum parte Regni hæres, vbi Calecutij vrbis amplissima fundamenta iecisset, vnà quoque in medio Virgini templum excitauit; legemq. semel pro adorando Mariæ nomine rogatam, suæ genti sacram esse iussit, quàm maiorum suorum traditione susceptam, & si alioquin incolæ pagani, religiosa huc vsque memoria conseruarũt. Sed Osorij verbis Lectorem frustrari non patiar. *Cranger*, inquit, *in India vrbs est perantiqua, quæ Calecutio distat austrum versus, circiter quinque, & quadraginta passuum millibus, & à multis Christianis à sancto Thoma conuersis incolitur. Cuius Rex, olim Brachmanorum litteris imprimis eruditus, cùm sorori germanæ vitium intulisset, illius flagitij conscientia grauiter afflictus, & pœnas de se multorum dierum inedia, alijsq. laboribus seuerè repetebat; nec tamen animi sollicitudine leuabatur. Quare religionis causa, iter suscepit in Persidem & Caramaniam, in qua antiquissima Magorum disciplina florebat. Ex quibus duo, opibus, & sapientia principes, Regi* Hier. Osor. l. 1. de reb9 gest. Emmanuel.

*Cranganoris per litteras noti, à stella præter naturæ ordinem orta, edocti Regem Cœli in Iudæa natum, ad eum adorandum se compararunt. quibus idem Rex Cranganoris sub nigro colore, qualem pictores in hoc mysterio exprimendo effingere solent, se tertium comitem adiunxit. Qua e in posterum reliquis nominibus abiectis, nomen Cheriperimale (id eorum lingua sonat vnum ex tribus) ex hac tam illustri societate, qua maximè gloriabatur, assumpsit. Christum itaque adorant, eiq. munera offerunt. Rex lætissimus tertio demum anno in patriam reuersus, ædem extruxit, quam Mariæ nomine consecrauit; in qua sanctissimæ Virginis imago cum filio in vlnis collocata fuit. sanxitq. vt quoties in templo, Aeditui hoc nomen inclamarent, toties se, omnes, qui adessent, in terram prosternerent. Postremò, vt se totum diuinis rebus daret, & negotia reliquit, & regni opes distribuit ijs, quos sapientia & religione præstare cognouerat. Ex [illegible] vnus fuit, qui Calecutij vrbis fundamenta iecit, & templum extruxit, & in medio sacellum Virgini dedicauit, & exemplum Patroni sequutus, statuit, vt ad Mariæ nomen omnes sese in terram proijcerent: & licet Incolæ sint pagani, hanc tamen me-*

*memoriam ab antiquis traditam, religione summa conseruant*. Hæc Osorius, quæ in antiquissimis Christianorum Indorum monumentis contineri, ab hominibus Indiæ peritissimis se accepisse testatur.



# DE SINGVLARI Sancti Iacobi minoris apostoli, in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT VIII.

Vide Bellarmin. lib de script. Ecclef.

SAnctus Iacobus minor apostolus, frater Domini in Euangelio nuncupatus, non quia filius beatæ virginis Mariæ ex Ioseph, vt falsò impius putauit Heluidius: vel quia filius Ioseph, de priore vxore, quemadmodum libro 2. Histor. capite 1. malè existimauit Eusebius: verissimum enim est, sanctum Ioseph, vt eius sanctissima Coniux, perpetuò Virginem fuisse: sed quia Cleophæ, sancti Ioseph, vel, vt alij volunt, sanctæ Annæ fratris filius fuit. Hinc etenim Maria Cleophæ, soror matris Domini Ioannis 19. nominatur, quia Cleophæ, fratris Ioseph vxor erat. Vsitatum namque est, vt duorum fratrum Coniuges, sorores nominentur. Quemadmodùm autem Maria Cleophæ, quia vxor Cleophæ, fratris Ioseph; soror Mariæ matris Domini dicta est

Vide infrà in S. Thaddeo Apost.

eſt: ſic etiã Iacobus, quia filius ſororis matris Dñi, eiuſdẽ Dñi frater eſt appellatus.

Hic igitur Beatiſsimæ Virginis nepos, quantus eiuſdem Virginis cultor, ac prædicator extiterit, teſtatur illa ſacrificandi forma, vetuſtiore vocabulo Iacobi Lithurgia nuncupata; non à Græcis ſolùm Theologis probata, verùm etiam ſextæ Synodi generalis Patribus in Trullo, ſub Iuſtiniano agnità, & laudata: In qua Deiparæ Virginis honorificam mentionem faciens, vocat eam, non ſolùm prætioſiorem, ſeu honoratiorẽ, quàm Cherubim, verùm etiam glorioſiorem Seraphim; nec ſimpliciter illam benedictam, ſed cum augmento ſuperbenedictam appellat. Prætereà populum cohortatur, vt vna cum Sacerdote, qui ſacris operatur, non modò Deiparæ memoriam habeat, ſed eius etiam interceſſionem reſpiciat, & quærat, ſicut hæc verba demonſtrant.

Liturgiia ſiue diuina Miſſa S. Iacobi extat in Bibl. Pat tom. 4. edit primæ.

*Commemorantes ſanctiſſimam, immaculatam, glorioſiſſimam Dominam noſtram Matrem Dei, & ſemper Virginem Mariam, nos ipſos & inter nos, & omnẽ vitam noſtrã Chriſto Deo commendamus*. Iterum. *Commemorationem agamus ſanctiſſimæ, immaculatæ, glorioſiſſimæ, benedictæ Dominæ no-*

*ſtræ Matris Dei, & ſemper Virginis Mariæ, vt precibus, atque interceſſionibus, eius omnes miſericordiam conſequamur.* Iterum. *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia Saluatorem peperiſti animarum noſtrarum. Dignum eſt, vt te verè Beatam dicamus Deiparam, ſemper beatam, & omnibus modis irreprehenſam, & Matrem Dei noſtri; honorabiliorem, quàm Cherubim, & glorioſiorem quàm Seraphim, quæ ſine corruptione Deum verbum peperiſti, te re uera Deiparam magnificamus. Tibi, ò plena gratiæ, vniuerſa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es templum ſanctificatum, Paradiſus ſpiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem aſſumpſit, & puer factus eſt Deus noſter, qui eſt ante ſæcula. Tuum enim vterum, thronum fecit, & tuum ventrem, latiorem ac ampliorem cœlis ipſis reddit. Tibi, ò gratiæ plena, vniuerſa creatura gratulatur; gloria tibi.* Sic Beatus Iacobus.

Canif. lib. 5 de Deip.

*Quam verò ſunt iſta dilucida* ( exclamat Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 31. ) *præclara, fortia, nec aliunde quam ex Apoſtolico ſpiritu deprompta, quæ, & primo Eccleſiæ ſæculo congruunt, & ſingularem noſtræ Virginis*

ginis

*ginis arguunt maiestatem*. Sed neque hic stetit Iacobi nostri in Virginem sacrosanctam amor, studium, ac reuerentia singularis. Eo namque die, quo sanctissima Deigenitrix Virgo Maria de mundo migratura erat ad Christum, à sancto Petro Apostolo, ac Apostolorum Principe vocatus ad dicendum, & laudandum, prout poterat, infinitam diuinarum virium in Beata Virgine bonitatem, coram Apostolis, atque ipsa Dei genitrice, pulcherrimam habuit orationem, suæ erga tantam Matrem deuotionis testem, obsidem pietatis. quàm ex Amadeo deromptam, hic inserere operæpretium duxi, vt Lectores, eius spiritualis gustu reficiantur, pariter & fructu. Est autem huiusmodi.

*Oratio S. Iacobi minoris apostoli, habita in transitu beatæ Virginis.*

*Supplantari ab inimicis nostris, fauore præditi, Mariæ, Dei & Magistri nostri genitricis, non poterimus. Ipsa enim contriuit caput venenosi serpentis, ipsa vicit mundum. Victoria eius talis fuit, quòd cunctas hæreses interemit. Hæc est enim mons ille, de quo abscissus est lapis sine manibus, qui impleuit sua magnitudine totam terram. qui citò prædicabitur in toto orbe. Sed bestia insurget a*

Amadeus in sua Apocal. capt. 8.

*cu-*

cuius vox implebit terram, & durabit quousque impleatur voluntas Altissimi, & iterum emerget, quasi submersa fides, & regnabit agnus in toto orbe terrarum; quod fiet precibus, & assiduis intercessionibus huius gloriosæ Virginis, quam prono vertice omnes veneramur. Ipsa enim supplantauit, & vicit Diabolum: vicit Luciferum, & Principem huius sæculi eiecit foras; iterum atque continuè eijcitur, & illo tempore perfectè eijcietur, qui parentes nostros ex paradiso voluptatis eiecit; vt qui tunc eos supplantauit, à filijs ipsorum supplantetur, & præcipuè ab hac filia sancta, & immaculata, & perfecta; atque omni bonitate, veritate, sanctitate, & sinceritate plena: in qua sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Accidet Lucifero, vt sicut per arborem, Euam supplantauit, ita, & ipse, per arborem, vel lignum Crucis Mariæ, quod interius latebat, & lignum Crucis Christi, quod exterius erat, supplantetur. Et qui Matrem superauit, supplantauit, & vicit; à filia eius superabitur, supplantabitur, & vincetur. Multæ certè & aliæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, sed Maria supergressa est vniuersas. Hæc est illa mulier fortis, de qua scriptum est: Mulierem fortem quis in-

inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. O purissima omnium Angelorum. O constantissima omnium hominum. fac nos quoque veros supplantatores inimicorum nostrorum, veros victores, veros Imperatores, vt vincamus Diabolū, superemus mundum, & vincamus proprios, contra rationem insurgentes appetitus. Ecce in continuo prælio sumus: hostes nos nunquam deserunt: inimici nostri inter nos sunt. Si prælium non esset, nec victoria haberetur. Bonum est prælium, quando illud consequitur victoria. Bonum est malum, quod in bono vincitur. Bonus est dolor, cui succedit gaudium, bona est infirmitas, quam perpetua sequitur sanitas. Diligentibus autem Deum omnia cooperantur in bonum, & omnibus tam bonis, quam malis. Bonū oritur bonis: & sicut mūdis, omnia sunt mūda, ita et bonis omnia sūt bona. Exteriora quidē bona, in bonū corporis: bona corporis, in bonum animæ diriguntur, & illa in summam beatitudinem, & ipsum Deum. Certamen itaque & prælium, & assidua militia, data est homini in vita ista; vt ex ea boni, velut aurū in fornace probentur; mali vt stipula, fenum, palea, & lignum comburantur. Et diligentes Deum, tanquam Sol fulgeant, & tāquam

lapi-

*lapides pretiosi rutilent. Tu ergo Domina nostra, & mater Dei, succurre, opem fer, præsidio isti. Esto nobis turris fortitudinis à facie inimici, vt ipsum inimicum supplantare, & procul à nobis pellere, vt Deo nostro cumulatioribus meritis, adhærere possimus. Amen.*

Aliam prętereа post Deiparæ corpus sepulturæ mandatum, insignem habuit orationem, qua eiusdem Deiparæ humilitatem admirandam, præclaris omninò laudibus cumulauit, vt habetur ex Pisano lib. 5. de laudibus Virginis fructu 8. sed cùm non extet, eam hic apponere posse non datur. Huic Iacobo nonnulli adscribunt Protouangelium, siue sermonem historicum de conceptione, Natiuitate, & rebus gestis Deiparæ, vsque ad aduentum Magorum: Sed præter omnem rationem, inquit Leo Allatius super Eustathij Hexameron. Baronius enim in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos, Sixtus Senensis, & alij maximæ æstimationis viri, inter Apocrypha reijciunt, cùm inter alia, absurdissimum illud cōtineat; Iosephum & Mariam stupri, & sacrilegij accusatos, ex decreto Sacerdotum, simul adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo Moyses explo-

Pisan. lib. 5. de laud. Virg.

Leo Allat. super Eustathij Hexam.

plo-

plorari iussit innocentiam fœminæ de adulterio suspectæ. *Extat nunc scriptura quædam* (inquit Sixtus lib.2. Bibliothecæ sanctæ in Iacobo Apostolo) *ab hæreticis nostrorum temporum typis excusa, quæ Protouangelium Iacobi, siue sermo historicus de Natiuitate Deiparæ inscribitur, continens historiam Natiuitatis Mariæ, vsque ad aduentum magorum; in quo, inter cæteras ambiguæ fidei narrationes, illud etiam adijcitur absurdissimum, nempe Iosephum & Mariam stupri & sagrilegij accusatos, ex decreto sacerdotum simul fuisse adactos, ad bibendum poculum redargutionis, quo Moyses explorari iussit innocentiam fœminæ de adulterio suspectæ*. Sic ille.

Sixt.Senen lib.2.Bibliothecæ.

Opinor tamen cum Epiphanio Constantinopolitano, in libello de vita Virginis, & cum Vincentiò Beluacensi, in speculo historiali lib.6. cap.66. scriptum hoc, esse antiquissimum; & si non à Iacobo Apostolo, certè ab Iacobo quodam Iudæo, circa Apostolorum tempora conscriptum. & cùm multa contineat, testimonijs, dictisq. sanctorum Patrum, & Historicorum consentanea, non dubito, vt in multis alijs accidit, ab hæreticis falsa quædam in eo fuisse inserta, adstruendæ propriæ hære-

seos

ſeos gratia, veritatiſq. Catholicæ deſtruendæ; ideoq. eius lectiò nec omnibus permittenda: & quicunque legerint, attentè illud percurrent, ne quæ hæretici abſurda, & contra diuinas litteras clam doloſequè diſſeminant, ipſi tanquam vera hauriant, & genuina. Vide, ſi libet, Leonem Allatium loco ſupra citato, & Bibliothecam noſtram Marianam, in Iacobo Apòſtolo, & Iacobo Iudęo. Ad Philippum interim veniamus.



DE

# DE SINGVLARI Sancti Philippi Apostoli, in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT IX.

SVAM abundè erga sacratissimam Dei Matrem deuotionem, amorem, studium, mundo inclarescere fecit Philippus; dum tantæ matris obitu instante; ad aliquid de eiusdem laudibus, in Apostolico consensu perorandum, à Petro Apostolorum Principe inuitatus, linguam in hæc verba laxauit.

*Sermo sancti Philippi apostoli in transitu beatæ Virginis.*

*Equos, quibus sol iste corporeus, inter corpora pretiosissimus vehitur, multos esse, Græci nomina fingentes tradunt. Et veritas ex multis eorum vanitatibus colligenda est; non enim sequimur indoctas fabulas; sed veritatem, quantùm possumus, amplectimur. Sol est Christus Dominus noster. Ecce hic Stellam, ex qua sol prodijt: Videtis Mariam, & tamen etiam ipsa Sol est, non cessans*

Vide Ambdæum in Apocal. capitu 8.

*ſans moueri; ſed ſemper proficiens, nunquàm deficiens; nec ſibi, nec alijs amorem, in altari cordis ſui tanquàm ignem indeficientem iugiter portans. Sol eſt non ſolùm ipſa Regina noſtra, quæ nobis lumen attulit; ſed omnis anima, ſupernam quærens beatitudinem, & Deum ſuum ex toto corde diligens, & proximum ſicut ſeipſum. Sol habet equos, quibus vehitur, qui nihil aliud ſunt, quàm virtutes infuſæ, & acquiſitæ; ſupernaturales primùm, deinde & naturales & intellectuales, & quæ in appetitu ſunt & conſiſtunt. Primus validiſſimus equus, atque fortiſſimus, eſt charitas, qua mouemur in dilectionem Dei & proximi noſtri. Charitas in ipſo Deo, reſpicit ſolum Deum in ſe, & cuncta alia in ipſum refert: non cupit aliquid ſibi, ſed omnia cupit Deo; non præſtolatur retributionem, non munera, ſed erga ſummum bonum ſummè afficitur. Secundus equus eſt ſpes ipſa, qua Deum cupimus nobis, qua eum volumus, tanquam Deum noſtrum. Tertius equus eſt fortior ſecundo, & debilior primo, & eſt fides, qua videmus ipſum Deum, quæ fides eſt ſubſtantia, & fundamentum huius Eccleſiæ, cui præeſt Petrus, Chriſti Domini locum tenens; cui ſuccedunt perpetuò Paſtores, & Vicarij Chri-*

*ſti,*

*sti, non in hac ciuitate, sed in alia, quam suo martyrio Petrus consecrabit. Et vbi nunc homines regnant, ibi Agnus regnabit; deficere videbitur, sed vires perpetuas assumet & conseruabit. Multi alij sunt equi in mente hominum, inter quos est prudentia, quæ est virtutum mirabilium regula, vt iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ, sub quibus reliquæ virtutes collocantur: Et vnaquæque est huiusmodi, vt equus quidam currendi ad brauium cæleste suscipiendum præbens vires: Horum equorum amator est vir bonus. Deo charus est, qui ipsis vehitur. cadere non potest, quadratæ figuræ manens innixus. Mundi huius Rectores, equos habent animalia bruta, & irrationabilia, in quibus confidunt. Nos his vtamur equis, his vehamur, his conducamur, & perire nullatenùs poterimus. Videte fratres mei Apostoli. Inspicite discipuli Domini, considerate, ò sanctæ mulieres charissimæ, Reginam nostram, quam potentissimam, quàm fortissimam; omnes ei insunt virtutes perfectæ, & loco imperfectarum successere virtutes perfectissimæ. non ampliùs sperat, sed tenet; non desiderat, sed amat; non expectat, sed habet; non credit, sed videt; & videndo tenet, & fruitur; fruendo gaudet, &*

O dele-

*delectatur in Deo salutari suo, in quo & nos gaudebimus. Modicum tamen priùs oportet contristari, sed hæc tristitia in summum vertetur gaudium, quando post tenebras deducemur in lucem inaccessibilem humanis viribus, receptibilem tamen (Deo volente) à nostris mentibus. Quod facile meritis Dominæ & Reginæ nostræ assequemur; cuius gratia etiam nomen effundetur in omnes gentes. Amen.* Sic Philippus. cui Deipara migratura. *Vale Philippe, & flamma supernorum accensus, Scythis Christum prædica.* Nec alia de Philippo assequi potui. De Bartholomeo autem plura.



# DE SINGVLARI Sancti Bartholomæi apostoli, in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT X.

CANDIDVM Bartholomei pectus, adeò Virginalis pietas insedit; vt in Deipara Virgine Patrona sua amanda, colenda, laudanda, eiusq. elogijs, encomijsq. celebrandis, ferè assiduus inueniretur. Hanc enim sibi firmam ratamq. statuerat legem, vt Angelicæ salutationis formam, quaque die centies, & centies nocte, cum totidem adgeniculationibus recitaret. Testem do fide dignum, & à nota falsitatis alienum, Beatum Alanum Rupensem in Apologia, quam pro Rosario Beatæ Virginis concinnauit *Angelicam*, inquit, *Salutationem confecit Sancta Trinitas, Archangelus Gabriel eam Diuæ Virgini proposuit; auxit sancta Elizabeth, perfecit Ecclesia. Dominicam orationem Christus docuit discipulos, ac in eis toti Ecclesiæ præscripsit. Inde porrò sanctus*

B. Alan. in Apol. Rosar. cap. 8.

*Bartholomæus apoſtolus, quaque eam & die centies, & centies noctu frequentaſſe proditur, cum totidem adgeniculationibus: quo in numero quatuor inſunt quinquagenæ: quarum tres ſic oratæ Pſalterium Chriſti Ieſu conſtituunt, ex centum & quinquaginta Dominicis orationibus conſtans; ſicut illud ex totidem ſalutationibus Angelicis dictis, Mariæ efficit Pſalterium, id eſt, Roſarium: quartam verò quinquagenam adiecit Apoſtolus, ob deuotionis cauſam, ipſi, Deoq. notam*. Sic ille. Ruríumq. in Roſario beatæ Virginis part. 2. cap. 2. *Vſus porrò Roſarij Beatæ Virginis, traditur in exemplo ſancti Bartholomæi apoſtoli ( vt narrat quidam ſanctus Doctor ) cui ſolemne fuit & perpetuum, per quamque diem centies, totieſque per noctem, nixis humi genibus, ſalutationem Angelicam, & orationem Dominicam Deo ſuppliciter orando offerre. quo in numero ter quinquagenario, pſalterium Chriſti & Mariæ, ex illis centum quinquaginta oraculis vſque repetitis conſtat: quartam verò quinquagenam ſanctus Bartholomæus ex ſuapte deuotione, ob cauſam ipſi Deòque perſpectam, velut Auctarium, adijciebat.*

Hic eo die, qui Deiparæ inter mortales agenti illuxit ſupremus, à Beato Petro Apoſto-

postolorum capitè, ad diuinā bonitatem in eadem Deipara, commendandam accersitus, hanc Apostolico pectore fudit orationem, maximo auditorum omnium plausu exceptam,

*Oratio sancti Bartholomæi apostoli in transitu B. Virginis.*

*Filius suspendentis aquas vocor. Ego coram illis loquor, qui longè me meliùs ea, quæ loquor, norunt. Ecce Dei genitricem Deum assiduè iam videntem, postquam commortua fuit, ante oculos nostros conspicimus: quæ visa videt omnia, etiam nos ipsos, quos oculo præsentes cernit; non solum ipsa cognoscit quæ dicturus sum, verùm etiam & mentem ipsam, & cogitationem meam videt; antequàm cogitarem, cogitaturum omninò, sicut cogito, me præuidit. Nouit enim omnia præterita, omniaq. futura: de præsentibus nihil dico, quia id manifestius est. Sed quæ sunt aquæ suspensæ? Hæ sunt, quæ super firmamentum sunt, non quæ sub cœlo. Sed quis eas suspendit, nisi qui diuisit aquas ab aquis Deus? Quis est iste Deus? Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui etiam spiritus ferebatur super aquas: ex quibus factæ sunt hæ & illæ aquæ. Ipse quidem spiritualiter ferebatur, quia diuina voluntas vna* Amad. in suis Reuel. raptu 8.

*in tribus ferebatur super aquas, volebat enim ex illis producere omnia corpora, præter primum corpus, quod cœlum Empyreum vocatur: illud enim cælum simplex est; cætera verò composita: nam, & ipsa elementa composita corpora sunt, quamuis simplicia respectu mixtorum dicantur. Non sum tamen ego, eo modo filius suspendentis aquas, & conseruantis aquas illas, sicut apud nos dicuntur filij natura. hæ enim aquæ, per quãdam similitudinem dictæ sunt aquæ; sunt enim lucidæ, & fluidæ; non quia fluant: sed quia cum summa, & indicibili moueantur velocitate, & secum trahant inferiora corpora, sicut aqua currens trahit secum reliqua corpora in ipsa posita. non tamen cœlum illud aqueum vi trahit alios cœlos; sed Angelus mouens illud, mouet simul omnes cœlos inferiores, quos alij Angeli, singuli scilicet singulos circulos cœlorum, in oppositum, vel alio motu mouent. habet illud cœlum pleraque similia aquis, idcirco aqua vocatum est. Non ergo natura, sed gratia adoptionis filius diuidentis aquas ab aquis, vocatus sum; sed omnes nos, eo modo filios illius suspendentis aquas esse censes. Sed mihi uni nomen illud (quo indignum me puto, inter hic existentes) impositum est. Aquæ denique*

que

que multæ, populi multi sunt, quos suspensos tenet Deus, ne cadant; si namque non conseruaret ipse creaturas suas, deciderent subitò, & in nihilum omninò reuerterentur, non in puluerem, vel in cinerem, sed nullo modo esse haberent, nihil omninò essent, sicut erant, antequàm quicquam factum fuisset. Populi sunt aquæ, ob sui volubilitatem & frigiditatem; immò omnis creatura ex se frigida est, quod in animalibus est signum mortis & interitus. ex se non habet esse, neque vnquam illud haberet, nisi datum sibi esset desuper, & postquam illud habuerit, non posset stare, ruinam semper minaretur & casum, nisi Deus conseruaret; & suspensam illam teneret; quod etiam ipsis Angelis, & virtutibus cœlestibus quotidie & assiduè accideret. Quandò Deus non conseruat, res decidit, vel tota, vel secundùm partem, prout non conseruat Deus. Radius solis est omnis creatura. Aquæ etiam dicuntur tribulationes, & anxietates, iuxta illud, torrentem pertransiuit anima mea, forsitam pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. has Deus suspendit, quia tolerabiles reddit, quia diminuit, quia omninò tollit: nam & inimicorum suorum pœnas, & damnatorum tormenta, quamuis æter-

*na sint, sua tamen misericordia suspendit, & leuiùs quàm merentur punit: & omnes quidem eripere posset, sed lex extat sua Decretum tamen suum, non ab aliquo ipsi superiore positum; vt post iudicium, illi in supplicium æternum, iusti verò eant in vitam æternam; quam Dominum nostrum, tuum (ò Virgo Maria) primogenitum, & vnicum filium, nobis quoque qui reliquimus omnia, & sequuti sumus ipsum, daturum speramus. Amen.* Sic Bartholòmæus. quem benignitatis fons Maria, supremum ei, Valè, dicens, his verbis cõpellatum dimisit: *Vale Bartholomæe, & præstolare tribulationum tuarum suspensionem, & mentis eleuationem in Deo iugitèr habeto.*

Porrò Bàrtholomæus cùm aduentum Christi, iuxta Matthæi Euangelium, gentibus instanter prædicaret; nihil videtur habuisse antiquius, quàm Mariæ quoque nomen, ac virtutum prærogatiuàm, velut prædicationis suæ Coronam intexere; nec dumtaxat Virginitatem in Matre; sed quòd ipsa prima virginitatis antesignana esset, altiùs commendare. Eius quesò orationem ad Polymium Regem, de hoc ipso argumento habitam, aure nõ minus, quàm auida mente excipiamus. *Scire te*

Incofer. in Epist. B. M. ad Messan. cap. 2.

*volo,*

vtlo, quia filius Dei dignatus est, per vterum Virginis, nasci cum homine; ita vt homo in virginis vulua conceptus, secum intra ipsa secreta Virginis haberet Deum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Hic simul cum homine natus partu Virginis cœpit habere initium nascendi cum homine, cuius initium ante sæcula à Deo Patre est. Hæc autem Virgo, cum execraretur omnem virum, & ipsa seruandæ virginitatis votum, prima Deo omnipotenti vouit. Primà autem ideo dixi, quia ex quo homo factus est, ab initio sæculi nulla hoc votum obtulit. Hæc ergo prima inter fœminas hoc constituit in corde suo, vt diceret. Domine offero tibi Virginitatem meam; cùm à nullo homine nec verbo didicisset; neque exemplo, ad imitationem videlicet inuitata, constituisset, vt virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Huic subitò in suo cubiculo clausæ, splendens sicut Sol, Gabriel Angelus apparuit, quæ cùm timore perculsa, hoc visu expauisset, ait ad illam Angelus: noli timere Maria, quia concipies; & illa timore deposito constanter ait: Quomodò fiet hoc, quia virum non cognosco? Cui Angelus respondit. Propter hoc Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit

Abdias Babyl. lib. 8. de vita S. Bar tol.

*bit tibi, ideòque quod ex te naſcetur ſanctum filius Dei vocabitur.* Hæc inter cætera Polymio Regi Bartholomæus, vt libro 8. hiſtoriæ Apoſtolicæ, narrat Apoſtolorum diſcipulus, Abdias. Non me latet, apud nonnullos vacillare fidem Abdiæ Babylonici, cuius ea de Virgine eſt hiſtoria, quòd quemadmodum Bellarminus ait, vitæ Apoſtolorum, quæ eius nomine circumferuntur, fabulis ſimiliores ſunt, quàm veræ narrationi. Verùm cum apud multos pios, atque doctos ſcriptores locum mereatur, ceu vnus ex diſcipulis Domini; & vt phraſi Petri Damiani in ſimili vtar, quàm plura ex eius hiſtorijs, in ſingularem auctoritatis arcem, ſuſcepta ſint; libenter etiam aſſentiar, ne multa in alijs quoque hiſtorijs cogar inuoluere. Rectè ctè verò Caniſius hæc eadem de Virgine, ex illo referens. *Sit verò iſthæc,* inquit, *cuiuſcũque vel Apoſtoli, vel Apoſtolici viri oratio, quæ ſi à nobis recipiatur, & legitimè ponderetur* (nam de toto Abdiæ operæ nunc iudicàre neceſſe nõ eſt) *quid quæſo habet abſurdi, quod Apoſtolica vel doctrina vel hiſtoria indignum, ac merito reprehendendum cenſeatur?* Hæc ille. Huc verò ſpectare poteſt, inter notatos à Gelaſio Pon-

Incofer loco citato

Bellar. de ſcrip. Eccl in Abd.

Petr. Ribad in vita S. Bartol.

Petr. Dam. ſer. 2. de S. Andr.

Caniſ. lib. 2. de Deip. cap. 14.

Diſt. 15. cap ſãcta Rom.

Pontifice libros, Abdiam minimè recẽſeri; quod argumentum, licet ab authoritate, vt dici ſolet, negatiua ductum, vbi de doctrina ac moribus præcipitur, momentum habet.

Eadem verò de Bartholomæo renarrat Ioachimus Perionius, vbi coram Polybio citerioris Indiæ Rege, de filio Dei verba facientem inducit: *Dei filium videlicet* (vtar eiuſdẽ oratione) *naſci voluiſſe ex Virgine, cuius initium ante orbem conditũ à Deo Patre eſſet, quiq; naturis omnibus, tã ijs quæ cernũtur, quàm ijs quæ aciem oculorum effugerent, principium dediſſet. Virginem autem eam, ex qua natus eſſet, omnem viri cõcubitum declinaſſe, ac repudiaſſe ſemper, primãq. omnium, Deo virginitatis votum nuncupaſſe. Et poſt multa de Virgine perorata, cùm etiam ob profligatam à filio Virginis Diaboli tentatoris malitiã, Bartholomæus, æquum fuiſſe dixiſſet, eum à Virginis filio vinci, qui filium Virginis ante viciſſet. Hoc loco (inquit) Polymius Apoſtolum rogat, cur primam Virginem vocaſſet eam, ex qua homo & Deus natus eſſet; Ille cum gratias Deo primùm egiſſet, quòd Regi mentem, ad ſe audiendum dediſſet, ita reſpondit: primum hominem Admum dictum eſſe, terramq ex* Ioachim. Perion. in vita Barth.

*qua*

*qua fictus, compositusq. fuisset, & matrem eius, & Virginem fuisse; propterea quòd nec sanguine humano adhuc polluta, contaminataq. fuisset, nec ad cuiusquam mortui sepulturam aperta. Itaque consentaneum fuisse id quod iam dixerat, vt qui filium Virginis, idest, terræ vicisset, is à Virginis filio vinceretur. vicisse autem illum, quòd arte & fraude egisset, vt Adamus contra Dei præceptum vesceretur, ob eamq. causam expulsum eum esse ex Paradiso, quò ei reditus postea non patuisset. Hunc autem Virginis filium egisse, vt artem Diaboli & experiretur, & vinceret, vt cœlum victoria sua, homini aperiret.* Hæc Periònius.

Incofer loco cit. Plura etiam (subdit Incofer) in suis Theologicis, quæ consequentes ætates excluserunt, de Maria Bartholomæum disseruisse, nemo negauerit: si ex antè dictis, mirificè Matri Dei studuisse, ex eaq. prædicationis Apostolicæ seriem duxisse, cogitarit. Scripsisse verò de rebus diuinis Bartholomæum haud pauca nobis abdita, memorat Dionisius Areopagita, dum eum hac oratione laudat. *Sic diuinus Bartholomæus ait, vt plurimam esse Theologiam & minimam, Euangeliumq. & latum & magnum.* Nisi fortassè non tam scriben-

Dionys. de myst. Theolog.

tem

tem legisse; quam dicentem audisse putandus sit.

Neque hoc Bartholomæi in Virginem sacrosanctam amoris, recentiùs argumentum subticebo, quod Franciscus Gonzaga Seraphici Ordinis quondam Minister Generalis, postmodùm verò Episcopus Mantuanus, alijq. in suis operibus commemorant. Cùm enim magna grassante peste per totam Ciuitatem Conimbricensem, Monasterium Sanctæ Claræ inciperet adeò periclitari, vt Moniales timore mortis concussæ, de fuga ab eo loco inter se agerent; dum de modo magis decenti ad fugam capessendam deliberarent; ecce derepente ad ostium pulsat pauper, seu peregrinus quidam, eleemosynam petens. ad quem cum venissent quædã Moniales, continuò ille interrogauit, vt quid adeò tristes & afflictæ essent? illis autem respondentibus: propter appropinquantem ad nos pestem, quæ nos hinc abire compellit, subiunxit ille. Credite mihi, non opus est: dabo vobis efficacissimum remedium ad illam omninò propulsandam: accipite chartam istam, & antiphonam Deiparæ in ea scriptam, singulis diebus recitate, statimque ille non ampliùs comparuit. Dei autem

Fr. Gõz. in lib. de orig. famil. obseru.

Carthag. de mir. a d. i. c. 1? in fi..

autem sponsæ (vt inquit, vir in diuinis & humanis scientijs apprimè eruditus, ac historiæ amātissimus, frater Lucas VVaddingus tom. 3. Annalium Minorum ad annum Christi 1317.) Ex quibusdam signis, quæ in mendico, seu peregrino conspiciebantur, iudicarunt, sanctum Christi Apostolum Bartholomæum, hoc eis benignè beneficium præstitisse. Cæperuntq. singulis diebus sæpe sæpius, tum alta voce canere antiphonam illam, tum submissa voce singulæ eamdem repetere. quo præsentissimo Antidoto, cœlitus, vt creditur, demisso, Monasterium in medijs flammis grassantis pestis, ab eius contagione omninò immunè seruatum fuit. Antiphonam verò, vel orationem Deiparæ, Monialibus Conimbricensibus à Diuo Bartholomæo delatam, ab eodem, vt arbitror, confectam, hoc loco apponere, operæ pretium duxi, vt omnes salubri hac medicina, ingruente peste, perfruantur.

Luc. VVadding. tom. 3. Annal.

*Stella Cœli extirpauit,*
*Quæ lactauit Christum Dominum,*
*Mortem pestis, quam plantauit*
*Primus parens hominum.*

*Ipsa Stella nunc dignetur*

*Sydera compescere,*
*Quorum bella plebem cedunt*
*Diræ mortis vlcere.*

*O pijssima Stella maris*
*A peste succurre nobis*
*Audi nos Domina.*

*Nam filius tuus nihil negans*
*Te honorat.*
*Salua nos Iesu,*
*Pro quibus Virgo mater orat.*

℣. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

*Oratio.*

*DEus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti pepulum tuum, contine manum tuam: ob amorem illius stellæ gloriosæ, cuius vbera pretiosa, contra venena delictorum, quàm dulciter suxisti; præsta auxilium gratiæ tuæ, vt ab omni peste & improuisa morte securè liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer saluemur. Per te Iesu Christe Rex gloriæ, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

DE

# DE SINGVLARI Sancti Matthæi apostoli in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT XI.

BEATVS Apostolus & Euangelista Matthæus, Capharnai cùm ad telonium sederet, à Christo vocatus, vt suam in Deiparam exprimeret per externa indicia deuotionem; longam & plenissimam de eadem in suo Euangelio historiam concinnauit. Licet enim non scripserit, quomodo concepta, quomodò nata, quomodo nutrita, quibus moribus docorata, quibus virtutibus ornata, quid cùm filio in humanis egerit, quomodo cum illo conuersata sit; quomodo post eius Ascensionem cum Apostolis vixerit, & alia memoratu digna, quæ cùm summa deuotione à fidelibus legerentur, à populis amplecterentur; quidquid tamen de ipsa dici, aut intelligi potest, totum his verbis
Matt. cap. 1 cõclusit: DE QVA NATVS EST IESVS. *Quid amplius quæris? quid vltra requiris in Vir-*

*Virgine?* inquit vir sanctitate & doctrina eximius Beatus Thomas à Villanoua. *Sufficit tibi, quòd mater Dei est. Quænam obsecro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria Matri Dei non congruit? Solue cogitationibus habenas; dilata intellectui fimbrias, & describe apud te in animo Virginem quamdam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, deuotissimam, humillimam, mitissimam, omni gratia plenam, omni sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam: quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum adde, maior est ista Virgo, excellentior est hæc Virgo. Non eam Spiritus sanctus litteris descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas, nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse; imò re ipsa intellectũ omnem superasse. vbi ergo totum erat, pars scribenda non fuit, ne putares, quod scriptum non fuerat, eidem forsitan defuisse. Quicquid igitur de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breuiloquio: DE QVA NATVS EST IESVS. Hæc lõga & plenissima historia eius est.* Sic ille concione 2. de Natiuitate

B. Thom. à Villan. ser. 2. de Natiu. Virg.

Mariæ; rursusq. concione 3. de eadem Natiuitate. *Nolo*, inquit, *vt de cætero labores; vt mihi Virginem per singulas eius virtutes describas, & virtutes eius, gratias & excellentias sigillatim exaggeres, & magnifices: ad omnem eius excellentiam & magnitudinem, vnicum hoc thematis elogium sufficit; De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Hoc breue eloquium, eam optimè, quoad fieri potest, circumscribit. hoc ad omnem historiam sufficit. noli immorari per singula, noli vexari: hoc solum plusquã si mille libros in eiusdem laudem componas, virginem extollit, virginem describit, obijcit, magnificat, & ostendit. De qua natus est Iesus. Quis Iesus? filius Dei, splendor Patris, candor lucis æternæ, mundi decus, mundi gloria, mundi pulchritudo, in quem desiderant Angeli prospicere, quem totus orbis nititur imitari. non opus est longiore historia, hæc solùm sufficit ad Virginem exaltandam, & extollendam; vnde & in Euangelio rarus de ea sermo, quia hoc satis erat ad omnem eius commendationem.* Hactenùs Villanoua.

Idem serm. 3. de eadem Natiuit.

Sed neque hoc contentus, in eodem Euãgelio scripsit Mattheus, de desponsatione Beatæ Virginis cum sancto Ioseph; de

Matth. cap. 1. & 2.

de Beata Virgine Christum parturiente; de eadem tres magos filij adoratores excipiente; de eadem cum puerulo Iesù in Aegyptum fugiente, atque alia pietatis suæ in tantam Matrem, pulcherrima, atque in perpetuùm duratura monumenta.

Idem scripsisse fertur hebraica lingua librum apocryphum, de ortu, seu Natiuitate beatissimę virginis Mariæ, à Diuo Hieronymo Latinæ linguæ postea traditum, Chromatij, & Heliodori Episcoporum suasione, vt falsò legitur in tom. 9. Operum eiusdem S. Hieronimi, Epistola 56. & 57. de quo libro sancti Fulberti Episcopi Carnotensis in Sermone 3. de Natiuitate Virginis libet iudicium audire. *Extat*, inquit, *quædam non vsitata relatio, quæ clarissimi interpretis Hieronymi prænotatur nomine, referēs Beatum Matthæum, post editum Euangelium, ortum Virginis, atque initiamenta puerilia Iesu Christi, ita obscuris manu propria obsignasse litteris hebraicis, vt nullis infideluim illud vellet patere superfluis & mordacibus rictibus. quæ tunc à prælibato interprete fuerunt transportata, quibusdam obnixè petentibus, ad latinæ linguæ notitiam. & quia hæc relatio inter sacræ scripturæ Canones non habetur inserta;*

D. Hieron. tom. 9.

Fulb. Carnoten. ser. 3. de Nat. B. Virg.

*ta; ideò vnanimis Ecclesiæ Conuentus, in recitando, apertè nec omninò eligit, nec in non recipiendo reijcit; cùm nonnulla reperiantur dicta vel facta, quæ in præfata serie impossibilia videantur, quæ tamen volentibus & amantibus legere, non denegat fidelium industria.* Sic Fulbertus. Consule; si placet, Bibliothecam nostram Marianam lib. 11. in sancto Matthæo Apostolo, nec non Dionysium Carthusianum lib. 1. de laudibus Virginis art. 8. asserentem; præfatum librum à sapientibus viris, & Patribus, inter Apocrypha numeratum, quamuis in ipso aliqua contineantur vera.

Dion. Cart lib. 1. de laud. Virg. art. 8.

Amplissima verò laudum, & præconiorum talenta, Gazophylacio Mariano plena manu intulit Matthæus, oratione illa, rara, insigni, atque præclara, quam teste Amadeo, ad Apostolos, virosq; Apostolicos, in Dei genitricis obitu congregatos, prosperè, fortunateq. habuit; in hæc verba.

*Oratio S. Matthæi Apostoli, de Deiparæ Virginis laudibus.*

Amadeus in sua Apocal. rapt. 8.

*Dono Christi Domini, ô Regina Angelorum & hominum, cum festinatione vocatus fui, cùm publicanus essem, & negotijs atque curis huius vitæ implicitus; donatoremq. con-*

*silij*

filij Euangelici sum sequutus, qui me denique in Apostolum elegit, & Euangelistam. genti meæ mea lingua scripsi, & prædicaui: sed ipsi dura ceruice, vt soliti sunt, renuerunt me, & Euangelium sacrum (vt tu Domina nosti, & hi fratres mei maiores non ignorant) contempserunt. Transiuimus, & iterùm transibimus ad gentes, annunciantes immensa dona à donatore omnium tibi, ò Maria, collata. Euam legimus, & audiuimus, de costa Adæ plasmatam, nobilissimam & delicatissimam, complexionisque optimæ fuisse, & ipsi viro, de quo sumpta erat, simillimam; sed te nobiliorem, melioremque in cunctis membris, humoribus, & corporis partibus in vtero felicissimæ Annæ incomparabiliter plasimauit, & in omnibus corpori filij tui, quod per donum Spiritus sancti, te quoque adiuuante vt Matre, optimum, & perfectum plasmatum fuit, simillimam reddidit. Ipse est speciosus forma præ filijs hominum; tu similiter post ipsum, & valde parum distans ab ipso, pulcherrima mulierum es, & supra omnes pulchra, & decora. Congruum quippe erat, vt Mater gratiæ, veritatis, & misericordiæ, genitrixque Dei, dignioris complexionis esset, quàm mater

*carnalis omnium viuentium. Iustum certè fuit, vt illa dignior esset etiam in corpore omnibus alijs, ex cuius purissimo sanguine, & humore plasmandum erat dignissimum corpus Redẽptoris omnium. Annunciabimus, & animæ tuæ, ò Maria, pulcherrimas virtutes. nulla tibi scientia, nullaque cognitio deest. tu n...sti, & æterna & temporalia, mortalia, & immortalia, corporea, & incorporea, quæ sunt extra nos, & quæ in nobis, quæ Deus, quæ natura, quæ intus, & quæ extra fabricauit. Nihil te latet, nihil te fugit, nihil à te abscondit Deus, quia seipsum tibi aperte ostendit. Et postquam commortua Christo fuisti, in carne adhuc mortali beatam vitam duxisti, sicut, & ducis. Beata es, istam beatitudinem mors ista breuis tibi surripere non potuit. resuscita citò, corpus gloriosum in sempiternum habebis Omnes tibi insunt virtutes; quamuis non credas, nec speres, quia vides, & possides. Niuei candoris es, ò Maria immaculata, scirpus es sine nodo: pœnas carnis, ob peccatum primi parentis in posteritatem deriuatas, pro parte etiam tu, tanquam carne corruptibili obtecta, substulisti; pœnas verò animæ, quæ obsunt, & non prosunt, nec habuisti.*

*buisti. Ingenio, industria, virtute & bonitate semper viguisti, semper integra fuisti. magna fuerunt dona tua, ingentia munera tua, quæ lingua humana exprimi non possunt, mente cogitari, vel apprehendi vix queunt. Neque mirum est; nam Spiritus sanctus, qui est æternum donum, te sanctificauit, præseruauit, purgauit, illuminauit, & singularibus priuilegijs decorauit. Ista dona non omnibus propalabūtur statim, non omnibus statim manifestabuntur: sed in varijs temporibus, prout donator magni consilij ordinauit. nunc hæc, nunc illa reuelabuntur. Multiplicabuntur solemnitates & festiuitates tuæ, augebuntur festa tua, & celebrabitur martyrium tuum, & compassio tua, & dolores tui, & mors tua occulta, quando scilicet mortua fuisti simul cum Christo Domino. de quibus tunc mirabuntur sæcula illa, tanquàm de ignotis, & quæ in opinione hominum fuere, vsque ad tempora illa felicissima. Hæc autem omnia filius tuus Iesus Christus Dominus noster faciet intercessionibus tuis, quem vt pro nobis quoque, maximè pro me peccatore, & publicano (ò aduocata peccatorum) depreceris, cuncti hìc adstantes rogamus, & ego pro me supplex, & flexis genibus oro.*

 *Amen.*

*Amen*. Sic Matthæus. Cui Deipara iam iam animam efflatura. *Vale*, inquit, *Matthæe, prius publicane, notus infamiæ arte; nunc autem publice testis, verbis & factis filij mei, Dei viui*.




DE

# DE SINGVLARI Sancti Simonis apostoli, in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT XII.

PRAECLARVM se Deiparæ Virginis Encomiasten daclarauit Simon, suumq. erga illam inflammatum amoris studium satis splendidè demonstrauit, dum Apostolis magnæ Matri parentantibus, à Petro accitus, vt aliquid in commendationem tantæ matris resonaret, hanc in orationem erupit.

*Oratio Sancti Simonis apostoli, de laudibus B. Virginis.*

*Quamuis plurima iam sint d cta de laudibus Reginæ cœli, nihil tamen dignum tanta maiestate dignum fuit. In ea namque omnia pulchra, omnia magna, omnia excelsa sunt. Quemadmodum enim Saluator noster Christus Dominus, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; & Deus per obedientiam illius, exaltauit eum; & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Amad. in sua Apoc. rapt. 8.

*nam*

*nam omnis lingua ei confitebitur: & data est ei omnis potestas in cœlo & in terra: ita certè, quia Genitrix eius Maria Domina nostra, & ipsa obediens fuit vsque ad mortem, mortem autem Crucis, quam in mente passa est, & cooperata est cruci Filij sui ad redemptionem humani generis: nam Simeonis vaticinium in ea fuit completum, quando dixit ei: & tuam ipsius passionis animam pertransibit gladius. Mortuo enim filio commortua mater fuit* ( intellige affectu & compassione ) *& quantum potuit, redemptioni nostræ auxiliata est, & Martyrij gloriam est adepta, milite lancea latus Domini perforante. reuersa est autem ad vitam, vt iterum nobiscum existens, nobis, totiq. Ecclesiæ prodesset, sicut certè & profuit, vt omnes nouimus, omnesq. experti fuimus. Quia ergo cum vehementi dolore mortua est, & Christum Dominum in doloribus associauit suis, nec nunc decet, vt vllo dolore afficiatur; sed cũ gaudio, & lætitia maxima, anima eius à corpore separetur, quia oportebat, vt legem pro omnibus statutam (à qua non fuit excepta, quia non oportebat eam eximi) seruaret publicè, & pro se, & pro nobis. Tunc enim pro martyrij gloria defuncta est: sed nunc restat debitum humanæ na-*

*turæ*

*turæ ſoluendum; & ad tempus breue: corpus exanime remanebit, & propter obedientiam perfectam, quæ omnes virtutes complectitur, exaltabitur ſuper omnes choros Angelorum, & ſuper omnes poteſtates, & virtutes. de qua re & ipſi Angeli gaudent, & gratias Deo agunt: quorum plurimi hic nobiſcum ſunt; præſertim magnus ille Gabriel, vnus de ſeptem, & ſecundus inter primos de ſeptem. Nos itaque fratres, obedientiæ iugo colla noſtra ſubmittamus, veſtigia Domini Ieſu, & Matris eius, cum puritate cordis ſectantes, vt poſt Reginam noſtram, nos ſerui eius, illuc, quò ipſa properat, ſcandere valeamus. Quod facile erit, ipſa pro nobis interueniente, cui nos omnes, omneq. genus humanum humiliter commendamus. Amen.* Ita Simon, vt habetur in Apocalypſi Amadei raptu 8. in qua etiam hæc ad ipſum legitur, Dei genitricis iam iam morituræ ſalutatio. *Vale Simon Zelotes, quia Dei amore feruens, cum Thaddeo, atque Iacobo fratribus tuis & meis, & Ioſeph iuſto, qui, & ſi non ſit Apoſtolus nomine, eſt tamen merito.* Nec alia de Simonis in Virginem pietate, & de Virginis in ipſum dilectione innotuerunt.

DE

# DE SINGVLARI Sancti Thaddæi apostoli, in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT XIII.

THADDAEVS, qui & Iudas, Deiparæ consanguineus, suum licèt erga ipsam amoris studium, pluribus argumentis, indicijsq. demonstrarit: de eo tamen ferè omninò silere compellor; quia ferè nihil de eo, vel posterorum memoriæ traditum, vel mansuris litteris consignatum deprehendo.

Extat apud Amadeum de Charitate Beatissimæ Virginis, Thaddei insignis oratio, ab ipso in Apostolorum præsentia, dum iusta eidem B. Virgini pararentur, perorata; quam hic placet inserere.

*Oratio sancti Thaddæi apostoli, in transitu B. Virginis.*

Amad. in sua Apoc. cap. 8.

*Principium omnium creaturarum Christum Dominum; omnia enim per ipsum facta sunt, & nulla res facta sine ipso, apprehendi: tenui eum, nec dimittam. Confessus sum, lau-*

*laudaui, glorificaui, cordeq; apprehendi, quia voluntate, quæ cordis nomine accipitur, & amore prosequutus sum. sicut enim à corde, tanquam à principio & fonte vitæ, progreditur vita ad reliquos cordis artus, ad alia membra, & ad alias partes: sic à voluntate bonum & malum omnium aliarum potentiarum, quæ laude vel vituperio dignæ sunt, profluit. Prima laus, & primum vituperium est voluntas: aliarum autem potentiarum solum bonum, vel malum est, inquantum à bona, vel mala voluntate diriguntur. Ipsius voluntatis est fugere, vel prosequi: ipsius est nolle & velle; & nihil fugit, nisi quia aliquid diligit. diligit autē aut propter aliud: aut nō propter aliud, sed quia res talis ex sui natura est, vel eius beneplacito propter se diligitur. Dilectio est plurimū bonū opus, & ipsa similiter est primū. prauū opus respuere, & nolle; sicut non est primum opus; ita neque primum bonum, vel primum malum opus. Dilectio quoque propter aliud, præsupponit dilectionem propter se: primum ergo bonū opus, est dilectio propter se; & primum malum opus, est dilectio propter se. Si Deum diligimus propter seipsum, optima & perfectissima, ex sui natura, ista dilectio est; si autem aliud à Deo propter seipsum*

*ipsum*

ipſum (non autem in ipſum Deum referendo) diligatur; ita quòd creatura ſit finis, & Deus ſit ad finem, in creatura ſiſtendo, peſſima operatio eſt. Peſſima vtique dilectio eſt, Deum ob aliud diligere in illo alio ſiſtendo. Dico autem non ſapientibus, & perfectius me omnia illa cognoſcentibus, ſed inſipientibus loquor. Dico itaque in illo alio ſiſtendo; nam ſi quis diligeret Deum propter retributionem, & tanquàm bonum ſui ipſius, id eſt, diligentis, neque tamen ibi figeret dilectionem, ſed vlterius tenderet dilectionem ſuam in Deum, ita ut ſi nulla retributio foret, nullumque præmium ſequeretur, adhuc diligeret ipſum, tanquàm bonum immenſum, dignum prima digniſſima dilectione, talis dilectio Dei, tanquam boni proprij bona eſſet. Vnde præter fidem, ſunt in nobis duæ aliæ virtutes à Deo nobis infuſæ, ſcilicet ſpes, & charitas, qua diligimus eum in ſeipſo, & propter ſeipſum. Chraritas eſt donum hominibus conceſſum, & à Deo infuſum, quo nullum dignius eſt: per hoc enim præcipuè Deus, qui eſt charitas increata, & Spiritus ſanctus, cui charitas præcipuè attribuitur, habitat in cordibus noſtris. Per hanc charitatem templum Dei ſumus: per hanc Deo grati, & accepti reddimur, per

hanc

*hanc opera nostra grata & accepta sunt Deo: quicquid suo instinctu fit, illud Deus præmio æterno iudicat dignum. Nulla actio nostra digna est vita æterna, nisi voluntaria fuerit, & ab ipsa charitate infusa eliciatur, & à Deo tanquàm digna vita æterna acceptetur. ipse vero Deus ab æterno decreuit, omnem actionem talem pro tanto se acceptaturum, pro quanto ipse acceptat. Tantum ipsa operatio valet, & tantum ipsi operanti confert præmium, quantum operationem eius acceptauit, non plus, vel minus. Verùm quidem est, quòd altissimus Deus, maius nobis semper præmium confert, quàm ipsa operatio nostra, à voluntate & gratia, siue charitate emanans, ex sui natura mereretur; sed non maius, quàm ipse acceptauerit. Neque voluntas, neque charitas, vel gratia, compellunt Deum opera nostra ad vitam æternam acceptare, sed mera sua clementia talia opera, eo modo (scilicet in charitate) facta, vel elicita, semper sic & pro tanto acceptare disposuit: & sicut disposuit voluntariè, ita & ea voluntariè acceptat. Hæc virtus sola, nullum crimen secum compatitur: hæc, dum quis sanctificatur, dum iustificatur, infunditur. Hæc quoties quis contra legem Dei voluntariè præuaricatur,*

auser-

aufertur. Quoties ad Deum redit homo, illa sibi redditur. hæc facit, vt bona opera acceptentur. Hanc virtutem, supra alias, Regina nostra, & Angelorum Domina possidet. Hæc à Deo est, & Deus est. Cæterè quidem virtutes à Deo sunt, non tamen Deus sunt: sed hæc à Deo est, & Deus est. Angelis, & hominibus conceditur: nulla alia virtus dignos nos facit præmio æterno: Et similiter hæc sola actiones nostras ex ipsa profluentes, operationes ex alijs virtutibus emanantes facit premio æterno dignas. Hæc verò non vlla naturæ necessitate, sed benignissima Dei nostri pietate confertur. Hanc vt nobis adaugeat Deus, te rogamus, & obsecramus, cuius culmen post filium tuum tu possides, ò Maria Domina mea, & soror matris meæ. Tu enim ex Anna felicissima sterili; Simon, Iacobus, Ioseph iustus, & ego ex Maria Cleophæ, fratris Annæ fœlicissimæ sterilis orti sumus. Tu rogabis, tu impetrabis, vt omnes curramus post te, in odorem vnguentorum tuorum. Amen.



DE

# DE SINGVLARI Sancti Matthiæ apostoli in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT XIV.

BEATISSIMAE præsertim Dei genitricis precibus, in Apostolum electus, ac in locum præuaricatoris Iudæ suffectus sanctus Matthias; ne gratè quidem euasisset, nisi eam intimo amoris dilexisset sensu, ac præcipua quadam fuisset religione veneratus. Et quidem quo calesceret igne, quoue arderet feruore, in supremam cœli, terræq. reginam, ipse nouerat intus in pectore, & nos foris perspeximus in sermone illo, quem in tantæ Reginæ transitu, de eiusdem donis, Apostolico coram Senatu, ab eo habitum scribit Amadeus. A Petro etenim, ad dicendum vocatus Matthias, mira hæc ex eius orè profluxit oratio, vt eidem Amadeo beatissimus Archangelus Gabriel reuelauit.

Vid. Christoph. à Castr. in hist. Deip. c. 17.

Q Ora

*Oratio Sancti Matthiæ apostoli de donis Beatissimæ Virginis.*

Amadeus in Apocalypsi raptu 8.

*Donatus à Domino, dona ipsius in Genitrice Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi laudare, & commendare teneor. sed ex vna parte cogito ea, quæ suprà Petrus, Christi Vicarius, & noster nouus Pastor de humilitate attulit. Ioannes de Maternitatis dignitate, alijq. fratres mei de alijs innumeris eius virtutibus; vt Andreas primò vocatus à Domino, & Simon cum Iacobo & Thaddæo fratribus Domini; vt Thomas, & si non natiuitate, tamen similitudine germanus Saluatoris nostri, & Philippus ille omnium amator virtutum, Matthæus mihi nomine penè similis, officio maior, & Bartholomæus animo & sanguine admirandus. Quid supra? Ego duodecim Apostolorum vltimus, quia non fui à Domino in Apostolatum electus; sed in loco eius, qui cecidit ab Apostolatu, & cuius Episcopatum ego, vobis sortes ad Domini voluntatem mittentibus, accepi, dicere audebo? Verùm quia Domini voluntate, & dono Domini assumptus fui in Apostolatum, cuius officium etiam exercere cœpi, audebo & ego dona genitricis Dei nostri, quam omnes veneramur, & Dominam & Reginam nostram, ore licet indi-*

gno

gno commedare & laudare. Laudes enim eius, honores Domini sunt; nihil namque habet, quod non acceperit. & profectò ita est, quia ex se nihil penitus habet. Eam itaque laudando, diuina dona, diuinas gratias, & diuina munera à supremo largitore sponte concessa magnificamus. Neque credo fas esse, vllam creaturam extollere, si illa nihil boni ex se habet; sed in ipsa creatura, extollenda est Dei clementia. magnificentia enim sunt munera Dei. immò dico vobis (scientibus enim diuina mysteria loquor) nullus maiori laude dignus videtur homine illo à diuinitate assumpto, & post illum nullus maiori commendatione dignus est hac ipsius Domini nostri geninrice Maria. ille enim absque vllis precedentibus meritis, diuinitati hypostaticè vnitus, & beatitudine summa, qua maior creari nequit, est affectus, ipso nihil agente, ipso nihil cooperante Deus factus est; & plenitudinem omnium gratiarum, omnium donorum, & omnium virtutum assecutus est; alij verò, vt angeli, sancti, & beati, etiam ipsi cooperati sunt, probati sunt, tentati sunt, potuerunt transgredi, non erant confirmati, vt peccare nequirent. Virgo quoque nullis meritis præcedentibus. quibùs tanquam operibus præuenientibus ab

*ipso peccato præseruata fuit, antequàm vllus esset, & non solùm antequàm esset ipsa; verùm etiam antequàm eßet cælum, & terra, & ipsa natura Angelica, iam erat electa. Iam si alij caderent in vno primo parente prouisum fuit remedium alios releuandi. Ipsã verò omnino dono Dei, & remedio passionis Filij sui præseruandam iam ordinatum fuit, vt dono Dei, & diuina acceptatione passio præuisa plus sibi prodesset, quàm alijs exhibita. quibus meritis præuisis, in peccato non fuit concepta, omni gratia, omnique scientia, & omni arte fuit repleta; nullum donum conueniens creaturæ, fuit sibi denegatum. In ipsius ergo laudibus potiùs videtur magnificari Deus, quàm in aliorum laudibus; nam in ea solus Deus magnificatur: non enim in eo, quod recipimus, propriè laudamur, sed in eo quod agimus, & operamur. Enimuerò non est dubitandum. Mariam Dominam nostram cooperatam nõ fuisse talibus donis, sicut alij suis donis cooperati fuere, sic, & filius eius vt homo: Sed præuenti fuerunt dono, & data fuerunt illis talia dona, sine vllis operibus, sine vlla petitione, sine vllis motibus, & desiderijs præcedentibus, ad quæ cooperati fuißent, si præuenti non extitissent: nam minori condemnatione*

*digni*

*digni ſunt, qui maiora dona ſine vlla cooperatione, ſine vllo actu voluntatis præuio perceperunt; dummodo ſi præuenti non fuiſſent, cooperati fuiſſent. Voluit autem Deus aliquos ita extollere, ita exaltare, ita ſublimare, vt nihil in eis prorsùs niſi gratia, niſi miſericordia, niſi clementia* Dei *reluceret. Laudemus ergo, imò, & magnificemus* Dominum Deum *noſtrum, in omnibus vijs, in omnibus actionibus, in omnibus donis, in omnibus muneribus ſuæ genitrici datis, exhibitis, & ſpontè conceſsis, vtque noſtra in nobis dona conſeruet, augeatque ipſius meritis, & precibus, ſupplices deprecemur. Amen.* Sic Matthias. Cui præfata cæli, terræque Regina, vitalia claudens lumina dixiſſe fertur. *Vale Matthia, & Donate* Dei *dona conſerua.*



# DE SINGVLARI Sancti Barnabæ apostoli, in Mariam Deiparam Virginem pietate.

## CAPVT XV.

DE sancti Barnabæ in Mariam Deiparam studio, amore, obsequijs, nihil mihi lectum, aut cõpertum, præter orationem illam, quam ipse, Virgine è vita migrante, ad Apostolicum cœtum habuit in hæc verba.

Ex Amad. in sua Ap. sapt.8.

*Oratio S. Barnabæ apostoli de Laudibus B. Virginis.*

*Consolationes tuæ (inquit Propheta) lætificauerunt animam meam. Barnabas sum filius consolationis, & nomen meum dulce est tibi super omnes matres, ò altissima Maria. nomen filij tui, quod est hoc, scilicet filius, quod namque nomen est proprium Verbi Dei, & filij tui, certè es mater illius, qui ab æterno fuit filius; & ille sempiternus filius, tuus ex tempore cœpit esse filius: quod nomen si (vt dicitur) aliquid in homine ponat, tunc perempta humanitate, perimitur & filiatio,*

*atque*

*atque maternitas : & ita tempore mortis Christi maternitatem amisisti, & ea de re valde doluisti. Nunc quoque ad æterna gaudia tibi properanti, nihil mali, nihil sinistri accidere posse video, nisi hoc solum, quia morte interueniente, maternitatem tuam iterum amissura es, quod an sit verum, difficile est cognitu, & nouissimis diebus, vt audio, hoc declarabitur. Si statutum non fuißet, semel omnem hominem mortem subire, bonum esset, vt te Deus de vita ista transferret ad vitam illam, ne nomen tãtæ dignitatis in te extingueretur ad tempus. Quid enim? etsi re ipsa non eris Dei mater, eris tamen in mente ipsius, & in nostra; & citissimè resurgendo, re ipsa nomen illud recuperabis, & quod parumper interrumpitur, non interruptum, sed continuum censendum est. Consolare itaque, ò Maria, in filio tuo, consolare in maternitatis nomine: nam maximas consolationes citissimè experieris: Deo enim vnione perpetua copulaberis, filij tui amplexibus indißolubilibus adstringeris, omnibus bonis afflues, nihil tibi vnquam deficiet, proxima solio Sanctissimæ Trinitatis assistes, sessione propinquissima Deo trino & vni eris: illi nos commendatos facito. Abscedens, nõ abscedas à nobis in hac mortali*

De hac re lege Suar. to.2. in 3. p. disp. 12. sect. 3. Et Io. Bap. Nouatum de Eminēt Deiparę c. 18. q. 27. & 28.

*vita, & vt ad gaudia illa, & nos peruenire valeamus, exora. Amen.* Hactenus Barnabas, vt habetur in Apocalypsi Amadei raptu 8. vbi etiam legitur sanctum hunc Apostolum à Deipara omnia Dei secreta edoctum. His iam exaratis, incidi in opus quoddam Antiquitatum Mediolanẽsium, à Ioanne Antonio Castellioneo compositum; in quo, fasciculo 1. pag. 14. & 19. inueni sanctum Barnabam Apostolum, antequam Mediolanum attingeret, in agro Ticinensi constitisse, ibique templum Iouis, ritè priùs expiatum, Magnæ Mariæ Matri simul & Virgini dedicasse; idemque postmodum in Mediolanensi vrbe, ex aliquorum sententia, præstitisse.

Io. Ant. Castell. in Antiq. Mediol.




DE

# DE SINGVLARI Sancti Lucæ apostoli in Mariam Deiparam virginem pietate.

## CAPVT XVI.

NEque ab Apostolis sanctum Lucam Euangelistam natione Syrum, patria Antiochenum, professione medicum & Pictorem segregabo; cùm & ipse Apostolus, à Theodoro Lectore, Nicephoro Callisto, alijsq. magnæ authoritatis viris appelletur. Hic autem si quisquam alius, Beatissimæ Virginis amore captiuus, eius adhuc viuentius imaginem penicillo & coloribus affabrè ad viuum delineauit, vt classis testatur Auctorum. In quibus Theodorus lector, qui ante mille annos floruit lib. 1. Collectaneorum, Carolus Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ, Theodoricus de Apoldia in vita sancti Dominici lib. 2. cap. 5. Vincentius Beluacensis in speculo lib. 21. cap. 147. Canisius lib. 5. de Deipara cap. 22. Metaphrastes in vita S. Lucæ, Nicephorus in sua historia Ecclesiast. atque alij innume-

Theod. lect. in Collec. hist. Eccl. lib. 1.

Niceph. l. 6. hist. Eccl cap. 16. & alibi.

Metaphr. In vita S. Lucæ.

numeri. Metaphrastes porrò hisce verbis rem pangit. *Hoc autem inrer cætera gratissimum est, quod ipse quoque typum assumptæ humanitatis Christi, ac signum eius, quæ illum pepererat, & assumptam humanitatem dederat, primus hic cera, ac lineamentis tingens, vt ad hæc vsque tempora in imagine honorarentur, tradidit; tanquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum his, quos desiderabat, quod feruentissimi amoris signum est: nec id solum, sed & fidelibus omnibus, Christiq. amatoribus, hæc quæ maxima erant, gratiosè donauit*. Sic ille. Nicephorus verò lib. 6. cap. 16. *Cùm etiam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ipsiusque adeò Christi, & quæ eum supra captum mirificè genuit, Virginis matris colores adumbrantes imagines plurimas, ad hunc vsque diem conseruatas esse norimus: ac Lucas quidem Apostolus, primus ipsas accuratè opus id exorsus, manibus suis depinxit*. & lib. 2. cap. 43. *Lucas pictor egregius; fertur is quoque primus Christi, & quæ eum, ita vt Deum decebat, genuit, matris effigiem pingendi arte adumbrasse. Vnde in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum & pretiosum opus est illatum;*

Niceph. in sua histor.

tum;

*tum*, & lib. 14. cap. 2. *Templum quoque quod ὁδηγῶν, hoc est, viæ ducum cognomine clarum est (opus Pulcheriæ est) in quo diuinam illius imaginem, quam Lucas Apostolus in tabula depictam reliquit, perinde atque thesaurum, quemadmodum Eudoxia Augusta, cum Ierosolyma profecta est, misit, seruandam curauit*, & lib. 15. cap. 14. *Tria quoque Pulcheria Dei Matris ex ipsis fundamentis templa erexit. secundum templum viæ Ducum est, vbi Antiochia missam Verbi Matris imaginem dedicauit, quam D. Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc viuēte, & tabulam ipsam vidente, gratiamq. adeò illi formæ suæ immittente. Hæc imago primùm in eo loco, qui Tribunal dicitur, fuit: vbi ea, quæ nunc quoque fiunt miracula peracta sunt*. Hactenùs Nicephorus. Aliqua huiusmodi miracula referunt Nicetas Choniates in Annalibus; & Nicephorus Gregoras. Non vnam autem, sed plures vnius generis Icones, quæ Mariam exprimerent, siue vltrò, siue rogatum, in aliorum gratiam, diuinum pictorem cupidè depinxisse, tradunt Canisius lib. 5. de Deipara cap. 22. Hermannus Schedelius in Chronico de sex ætatibus mundi, ætate 6. Vincentius Beluacensis

ßis in ſpeculo lib.25.cap.147. Thomas Bozius lib.9.de ſignis Eccesiæ cap.8. Ioannes Bonifacius lib.2.hiſt. Virginalis c.10.Ferreolus Locrius lib 5.Mariæ Auguſtæ cap.3 & alij quamplurimi. De ijs vna viſitur Romæ in ſancta Maria Maiore, quæ per Vrbem à ſancto Gregorio circumlata, luem ſæuientem extinxit: in ſancta Maria Aracœſi; in ſancta Maria in Via lata (atque hæc imago annulum geſtat in digito) in ſancta Maria ad Campum Martium &c.

Neque verò ſanctus Lucas habuit ſatis, Deiparę Virginis plures imagines, ad ęternam illius memoriam depingere: ſed præterea voluit, ipſius pleraque myſteria ſuis ſacroſanctis ſcrptis, ad poſteritatis notitiã commendare. Solus enim, vti Chriſti, Beatiſsimæque eius Matris effigies penicillo, ſic & res eorum geſtas breuiſſimè quidẽ, ſed elegantiſsimè ſtylo depinxit. Solus, inquam, Euangeliſtarum, ſalutationem Angelicam, Virginiſque cum Gabriele colloquium, viſitationemque Eliſabethe deſcripſit, ſuauiſsimis Deiparæ, Symeoniſque Canticis adiunctis. Chriſti deinde Natiuitatem, Circumciſionem, ac Virginis immaculatæ Purificationem, & totam denique Chriſti infantiam, pueritiamque com-

Balthaſſar Corderus in ſua præf ſuper Euã. S. Luc.

complectens, optimo cum rerum gestarum, tum temporum ordine, non fideliter minùs, quàm eleganter conscripsit. hisce de omnibus à Deipara Virgine, cui & à manu, & à secretis erat, luculēter edoctus. Vnde Idiota libro Contemplationis de Virgine Maria cap.3. *O Beatissima*, inquit, *Virgo Maria, doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum. Vnde & Beatus Lucas, cui inter cæteros Euangelistas descriptio dominicæ Incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur*. Sic ille. Præter hæc S. Lucas sicut ipsemet testatus est B. Amadeo (vt legitur in Apocalypsi eiusdem B. Amadei raptu 5.) scripsit de Conceptione, atque Natiuitate Virginis Mariæ Reginæ nostræ; de eius Presentatione in templo, de eius Desponsatione, & de eius Obitu, & Assumptione; quæ omnia suo tempore reuelanda esse affirmauit. Euangelium autem ab eo conscriptum de Assumptione Deiparæ Virginis in cęlum à S. Gabriele Archangelo eidem B. Amadeo reuelatum, mox apponere non grauabor.

Idiot. lib. contempl. B. Virg. c. 3

Amad. in sua Apoc. rapt. 5.

Adfuit Hierosolymis S. Lucas, cum Dei sanctissima mater, corporali præsentia esset ab

Amad. loc. cit. rapt. 8

ab hoc terreno orbe recessura, & ad æthereum thalamum accessura; eamque post Apostolos, licentia à Diuo Petro accepta, his verbis commendauit.

*Sermo S. Lucæ Euangelistæ in Assumptione Beatæ Virginis.*

*Plurima iam ab his Patribus allata sunt in medium. mihi, cæteris prætermissis, videtur tua Virginitas, ò Mater Dei Maria, quòd sit laude digna, atque dignissima, atque omni præconio celebranda. tu namque sola ante partum, & post partum Virgo fuisti. Virginitas, heroica virtus est, quam donat Deus his, quos animo spirituales esse decernit. In carne enim viuere, & carnis incitamenta non sentire, diuinum est. Sensus habere, & præter sensum viuere, angelicum est. Virginitas non est virtus vulgaris, sed singularis; non popularis, sed specialis; crescendum enim & semen afferendum, & populus Dei seruiens augendus, & modo naturali, non supernaturali, vt non auferantur à causis creatis actiones earum. non licet vnicuique Virginem esse: nam digna res est, liberorum secundum Deũ procreatio; vnde præcepta naturæ seruanda sunt, in aliquibus tamen congruum fuit Virginitatem reperiri, sed non fuit congruum hoc in omnibus.*

*bus. Tu verò ò Mater Dei nostri, sola vtrumque complexa es; Virginitatem scilicet & Maternitatem: & præceptum Dei de crescẽdo, & consilium virginitatis tu sola obseruasti: excellens donum, sublimis corona, & alta virtus est virginitas, quæ potius datur ad decorem, quàm ad necessitatem salutis. nam coniugalis continentia in multis, præferenda est virginitati aliquorum. Vnde & Dominus ipse Christus te matrem suam ex coniugio procreari voluit, in te sola potentiæ suæ magnitudinem ostendit, vt sine viro conciperes, & sine dolore pareres; vt sicut fuerat vir ex nullo, mulier ex solo viro; alij omnes ex viro & muliere: ita ipse vir esset ex muliere sine viro. Bonum est ergo coniugium, digna res est liberorum naturalis procreatio, & admirabilior est filij Dei ex Virgine conceptio, sic oportebat, sic congruum erat, vt illa quæ omnibus Angelis dominaretur, nulli viro subijceretur, non dico desponsatione. sed carnali copulatione. Hoc tamen non decebat te matrem Dei, Reginam Angelorum, & à peccato originali liberam. In hoc enim dictum est Euæ in pœnam, scilicet sub potestate viri eris, & dominabitur tui: quia ergo illo peccato caruisti per gratiam Dei,*

iu-

*iustum erat, vt in viri potestatem non transmitteréris; quia subiectio illa vilis est, & apud homines opprobriosa: nihil honoris, nihil venerationis, nihil dignitatis tibi filius deesse voluit, qui te perfectã vndiq. creauit. Ad ipsum igitur nunc accedens, cum ipso ex tunc perpetuò mansura, nostri quoque miserere, nobis veniam impetrare digneris, vt & ipsi tuis precibus ad visionem Dei Trini, qui etiam Vnus est, peruenire valeamus. Amen.*

Deipara verò, antequam ex hoc mundo transiret ad filium suum vnigenitum, post Apostolos nominatim salutatos, D. Lucam in hunc modum alloquuta perhibetur. *Vale Luca mi charissime, & secreta quæ tibi reuelaui, conscripta aliis porrige; & reseranda futuro sæculo conserua, & vt cœpisti, in bono perseuera.* Porrò Euãgeliũ secundùm Lucam de Assumptione Deiparæ, vt paulò antè meminimus, tale est ex Amadeo in sua Apocalypsi.

*Euangelium secundum Lucam de Assumptione virginis Mariæ in Cœlum.*

*Impleti sunt dies Mariæ, vt transiret ex hoc mundo ad filium suum vnigenitum & missus est ad eam cum palma victoriæ ante pheretrum deferenda Gabriel Angelus; quæ cùm neque sibi ignota, neque ingrata audisset,*

*dißet; turbata nullo modo eſt. Deſiderabat enim relinquere mundum, & ſemper eſſe cum vnigenito filio ſuo. Adſuit ſtatim diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, & cui de Cruce dixerat, Ecce mater tua. Adſuit & Petrus cum omnibus Apoſtolis, & potioribus diſcipulis: Erantq. ibi Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Mater filiorum Zebedei. aderant plures Virgines, atque ſanctæ mulieres. Vnuſquiſque verba ſua protulit, & in laudem Virginis matris direxit; & vnicuique ipſorum humiliter reſpondit Maria, & omnibus pariter benedixit. In lectulum coram omnibus conſcendit, & anima eius cum ingenti gaudio à corpore diſceſſit. ad inferos & ad Paradiſum aduenìens, quotquot amicos in pœnis illis viderat, eripuit: corpus in vallem Ioſaphat delatum eſt, & ſindone munda inuolutum, poſitum eſt in monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Diluculò anima reuerſa eſt ad Apoſtolos. Tunc Dominus Ieſus cum omni militia cœleſtis exercitus, in maieſtate venit, dixitq. omnibus. Pax vobis: gauiſi ſunt valde diſcipuli viſo Domino deſiderato. fœlicem animam alloquitur, omnibuſq. Diſcipulis benedixit. animam corpori iterum coniungi præcipit. Surgit verè Maria, &*

R pro-

*prodijt de monumēto tota decora nimis: progreditur cum Domino per aera ad montem Oliuarum, comitātibus Angelis, & animabus illis iustis. Thomæ Baltheum dimittit, & omnibus suspiciētibus, in cœlum ante faciem filij sui aßumitur, & sedet in gloria Maiestatis. Regreßi sunt Hierosolymā Apostoli cum discipulis & sanctis mulieribus, gratias agētes de omnibus, quæ audierant & viderant, annunciantes magnalia Dei in omnes gētes.*

Hæc in Apocalypsi B. Amadei. quæ quidem Apocalypsis, manu scripta extabat Matridi in Bibliotheca Regia S. Laurentij Escurialis; eiusq. exemplar authenticum indè in Vrbem sub Paulo V. Pontifice Max. ad Eminentissimum Principem S. R. E. Cardinalem Borgiam fideliter transmissum, mihi ab eximio Deiparæ virginis cultore, eiusdemquè ab omni labe puræ Conceptionis strenuissimo propugnatore D. Bernardo de Toro Hispalensi humanissimè communicatum fuit.

Atque hæc pauca de singulari Beatissimorum Apostolorū in Mariam Deiparā virginem pietate; vt tantorum Principum exemplo, noster erga tātam matrē pietatis affectus alatur, inflammetur, augeatur, ex

san-

ſanctorũ Patrum, aliorumq. Orthodoxorũ monumentis delibaſſe ſufficiat. Grata forſan Beatiſſimis iiſdem Apoſtolis erit tenuitas noſtra, acceptus labor, iucundus conatus: excuſabunt ipſi errores, indulgebũt infirmitati. & vt maris ſtellã, Cynoſurã naufragorum, lucem errantium, fulcrum titubantiũ, aſylum peccatorũ, Triclinium Trinitatis, diuerſoriũ Spiritus ſancti, Matrem Christi, Matrem Dei, vnicum eorum delicium, hic, & in cœlo, vbi feliciſſimè regnat, in æternum laudare queam, ſuis meritis, ſuffragiiſque impetrabunt.

LAVS DEO, AC DEIPARAE VIRGINI MARIÆ.



# INDEX
## RERVM MAGIS notabilium, quæ in hoc opere de Marianis Apostolis continentur.


A

Inuo-

L

vere

Ne-



FINIS.



